



TEOLOGIA
DOMINICA

163

B

15.

BIBLIOTECA NAZIONALE

BIBL. NAZ.


VITT. EMANUELE II

163

B

15

FRANCIA



THEOLOGIAE

DOGmaticAE

LECTIONES

TOM. I.



**MICH. ARCHANGELI
LVPVLI**

ACADEMICI HERCULANENS. NUNC S. METROPOLITANAE
ECCLESIAE COMPANAE ARCHIEPISCOPI

**THEOLOGIAE
DOGMATICAE**

LECTIONES

T O M. I.

EDITIO ALTERA.



In antiq. gemma ap. Auctorem



NEAPOLI

EXCVDEBAT RAPHAEL MIRANDA

MDCCLXXX



P I O V I
P O N T I F I C I
M A X I M O

MICHAEL ARCHANGELVS LVPVLVS

O QVEM SVPREMVM DIVVM PATER ATQVE HOMINVM REX
FASTOREM ADDIXIT TERRIS VT VBIQVE LVPORVM
FAVCIBVS AVVLSVM PECVS IN CAELESTIA SEPTA
AMBROSIA INVEHERES EXPLENDVM ET NECTARIS HAVSTM
QVVM PER CINCTVTOS DEFLEXO POPLITE MYSTAS
OMNIA IVRE TIBI REDDANTVR ET OMNIVM EGENVS
IPSE SIEM MIHI QVOS NVPER DIVINA LIBELLOS
ENIXA EST LONGO IMMODICOQVE LABORE FACVLTA
ANTE TVAS SISTO PATER OPTVME MAXSVME PLANTAS
EXCIPE SINT LICET EXIGVI EXIGVA ATTAMEN IPSI
SVSCIPERE HAVD RENVVNT THVRIS MVNVSCVLA DIVI
SCILICET IN PRETIO EST ANIMVS NON MVNERA DANTIS

DARAM NEAPOLI

XII. KAL. IANVAR. MDCCXCV



RAPHAEL MIRANDA

LECTORI BENEVOLO

Quum *Lectionum Theologiae Dogmaticae Michaelis Archangeli Lupoli*, quae typis Raymundianis anno MDCCXCIV. prodierunt, iamdiu frustra conquirantur exemplaria, rem gratam *Iuventuti Ecclesiasticae* me facturum putavi, eas iterum evulgare. Sane optandum id fuisset, ut *Clarissimus Auctor*, qui ante trigesimum aetatis annum commodo auditorum lectiones hasce elucubravit, novis eas locupletasset curis. Sed vix altero exacto anno, quum ad *Pelusianam Ecclesiam in Lucania regendam* fuisset admotus, aegre potuit pastoralibus curis, aliisque litterariis occupationibus distentus, unum alterumque tractatum prioribus addere. Supervacaneum vero est, *Dogmaticas istas lectiones*,

*scholasticis tricis purgatus , et ut uti
primo calamo fusas, lectoribus sive ob
exquisitam latini sermonis elegantiam,
et dicendi copiam , sive ob selectissi-
mam argumentorum segetem , com-
mendare. Quantam enim celebritatis
famam in Republica litteraria pro-
pter immortalia eius opera , publici
iuris post inde facta, Auctor obtineat ,
nemo est qui ignorat. Vale.*

ISAGOGÆ

DE

THEOLOGIAE NATVRA

EIVSQVE ORTV ET PROGRESSV.

NOVUM iam nunc adgredimur opus , clarissimorum virorum auctoritate, atque ipsa quoque temporum calamitate pertracti, quae a liberalibus studiis ad severiora, et ab antiquitatum penetralibus ad sacra illustranda nostrum revocant animum. Utinam tamen illi nos essemus, qui eandem ingressi viam, quam summi strenuque maiores nostri ingenti cum laude tenuerunt, vel aliquid bono Ecclesiae Dei proficere possemus! Sed cuiusmodi res sit, licet magnum fuerit illis magna tentasse, nobis tamen vel parva haec, et exigua, veluti racemationem aliquam post eorum longe uberri-

mam vindemiam praestare, et inglorium
 fortasse non erit. Quid quod in ea gravis-
 sima incidimus tempora, quibus in Chri-
 tiana arena, nobis potissimum in sor-
 tem Domini vocatis, desudandum ma-
 xime est et verbo, et scriptis, bellan-
 dumque cum diabolis huius mundi, cum
 perditissimis nempe, et impudentissimis
 nebulonibus, qui divina, et humana
 iura, Sacerdotiumque, imperiumque,
 nescio qua invecta et cogitandi, et scri-
 bendi libertate evertere adnituntur. Sed
 accedit praeterea quod in hunc quantu-
 lumcumque laborem nos volentes, no-
 lentesque iamdudum amicissimi, do-
 ctissimique longe plures Praelati nostras-
 tes coniecerunt, qui haud sibi plenius
 in hac parte satisfactum esse quereban-
 tur. Quamobrem ubi ex postremo no-
 stro opere de antiquitatibus, et priscis
 urbium monumentis, quae in itinere
 occurrunt Vennsino, respirare aliquan-
 tulum licuit, incunctanter in Theologi-
 cum opus meditandum cogitationes con-
 vertimus, bono potissimum eorum, qui

in Collegiis, et in Academiis versantur, instituunturque. Simul hinc per id tempus, exiguum licet, quod ex quotidiano iuris Civilis, Canonique docendi penso nobis superfuit, scripta Patrum Ecclesiae Graecorum, Latinorumque volutare coepimus, potissima quaeque argumenta, quibus in tuendo dogmate usi sunt, decerpentes. Atque haec quidem sunt, quae modo proferamus, non nostra profecto, sed omnia ex Patrum penu hausta. Quin et in scribendo ipsos Patres nobis imitandos proposuimus, qui vel in dogmate confirmando, vel in adversariorum dictis subvertendis, non syllogismis contortis philosophati sunt, nec in res divinas sophismatum faeces intulerunt, quae ad risum doctos incitant, delicatioribus vero ad contemptum, sed gravitate quanta maxima certissima revelationis principia constabiliverunt; alia hinc ex aliis deducentes per iustas atque ponderosissimas ratiocinationes. Id porro recte nec ne exequuti simus, ipsi videant, iudicentque aequi rerum ae-

stimatores. Orationem enim animus nunc est ad alia convertere ; quae praefari operae fortasse pretium erit. Nam vel hoc opportuniori loco , quid sit Theologia , quae eius natura , quibus innitatur fundamentis, et quae denique eius origo , atque progressus fuerit , aperiamus oportet.

I. Theologiam sermonem esse de Deo, clarius est , quam quod ulla indigeat explicatione. Verum iste de supremo Numine sermo , vel ex uno rationis lumine , rerumque creatarum testimonio vel ex divinitus revelatis veritatibus institui potest. Duplex hinc emanat Theologia , *naturalis* nimirum , quam sibi vindicant Metaphysici, et *revelata*, quae ex revelatis principiis comparatur.

II. Porro cuiusnam naturalis sit haec nostra facultas , vel ex eius subiecta materie , sive , ut aiunt , ex *obiecto*, quod Deus est , facile cuique innotescet. Univerſa namque Theologia in Dei natura , eiusque proprietatibus vestigandis versatur. Nisi quod non in Deo

duumtaxat immoratur, verum in iis praeterea, quae ad Deum ipsum, rerum omnium principium, et finem, referuntur. Ex quo fit, ut creatas quoque attingat res, Angelos nempe, homines, leges, virtutes, sacramenta, aliaque id genus multa.

III. Sed non id heic praetereundum, prima aetate a Sanctis Patribus strictiori sensu Theologiae nomen acceptum, ad eam nempe unam divinae scientiae partem indicandam, in qua de Divinitate habetur oratio. Quas hinc orationes S. Gregorius Nazianzenus *de Theologia* inscripsit, nonnisi circa augustissimum Trinitatis mysterium versantur, quibus is Graecorum, Latinorumque omnium primus adpellari meruit Theologus anno CCCLXX. Eodem modo Eusebius libros tres adversus Marcellum de Ecclesiastica Theologia inscripsit. Θεολογία enim tantumdem valebat ac *Deum fateri et praedicare*. Quamobrem Theologiam ab Oeconomia, qua Incarnationis Christi mysterium significabatur, sci-

mus distinxisse. Omnium instar exemplo sit S. Proclus in Oratione II. *de Incarnat. Verbi*: *κα μὲν ἀνθρώπος γενναίται νοῦσαι οὐ δύναται, θεοῦ δὲ οἰκονομίῃ ζητεῖν δύνη*; *quomodo homo generatur sciri nequit, an Oeconomiam Dei investigare poteris?*

IV. Quemadmodum autem cuique facultati sua quaedam, eaque firma, assignanda sunt axiomata; sic et divina nostra facultas sua firmissima habet principia, quae sunt ipsissimae veritates a Deo revelatae, quaeque nobis ex Sanctis Libris, vel ex traditione innotescunt. Qua in re observandum illud potissimum, non privatas cuiuscuiusmodi revelationes inter Theologiae principia locum obtinere, sed eas tantum, quas Prophetæ, et Apostoli vel scripto, vel verbo posteris mandarunt. Opportune hinc Paulus Apostolus docuit, fideles *superædificatos esse super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.*

V. Non arbitror tamen fore quem-

quam, qui principiorum omnium Theologiae amplissima, et praecipua esse ea inficiabitur, quae Apostolus habet *ad Hebraeos Cap. 11.* nempe Deum esse, et remuneratorem omnium esse, in quibus, ut aperte docet Sanctus Thomas, tanquam in primis credibilibus universa fides implicite continetur. Has aliae sequuntur veritates, et primo quae ab ipso Deo pro humani generis salute dispensata sunt, quibus sane fidei symbolum constat. Atque his tandem cetera a Deo revelata succedunt, quae ut idem Thomas animadvertit, *non directe ad fidem pertinent, non enim sunt principaliter a Deo tradita; sed indirecte; iis enim negatis, quid contrarium fidei sequeretur, sicut si quis adfirmaret Samuelem non fuisse filium Helcanae? Ex hoc enim sequeretur, Scripturam divinam falsam esse.*

VI. Porro non omnia quaecumque in disputationem adducunt Theologi (plura namque ab aliis disciplinis ad ipsas firmandas theses mutuantur) propositionum

Theologicarum nomen merentur, sed quae tantum ex revelatis principiis apte deducuntur. Non enim hominum arbitrio, sed ex ipsinsmet facultatis natura disciplinae cuiusvis principia pendent. Quid? an inter Theologica proposita innumeras eas adscribes ineptissimorum hominum quaestiones, quibus Theologiam, augustissimam omnium facultatem elapsis saeculis turpiter foedarunt, quaeque nec ex Scripturis, nec ex Patribus solvi possunt? adeo sunt pura puta aegrorum desiramenta!

VII. Quum vero ex revelatis veritatibus, uti iam dictum est, suas apte deducat Theologia consecutiones, nemo, nisi stultus, unquam addubitabit, quin ea vera sit scientia. Neque tamen contra facere videtur quod principiorum evidentia careat; veritatibus enim fide adsentitur intellectus, non evidentia rerum ductus, sed Dei revelantis auctoritate. Quid namque opus evidentia, quid opus criterio veritatis, ubi tanta est certitudo, quanta cuiuscumque na-

turalis scientiae certitudinem longe transcendit?

VIII. Et vera hinc scientia, et vera amplius sapientia iure habenda est nostra haec sacra doctrina. Si enim eam recte dicimus sapientiam, qua res per ultimas causas cognoscuntur; quid de Theologia dicendum, quae circa causas, et principia rerum omnium, eaque summa, et praestantissima, versatur? Altissima namque, et ab omni faece corporum, et materiae remotissima causa est Deus, qui sane primo, et per se divinae scientiae subiicitur, quem porro per altissimas causas Theologia contemplatur, per eas nimirum fidei veritates, quas non caro, et sanguis revelavit, sed Pater, qui est in Caelis per suum Unigenitum manifestavit.

IX. Sed iam tempus est, ut qui fuerit Theologiae adspectus in ipsis Christianae Ecclesiae primordiis, quaeque eius sequioribus saeculis conditio, brevi aperiamus. Verum adhuc est, quod praemonendum duco, Theologiam,

quamvis unam ex variis tamen, quibus tractari solet modis, varia sortitam esse nomina. Antiqui tamen Patres non nisi dogmaticam, et agonisticam habuere, ut ex Chyrostomo *in Matth. XXI. 23.* πολλά των λεγομενων παρ ημιν, αγωνιστικως κηρυττεται, ου δογματικως: *multa quae a nobis dicuntur, agonistice explicantur, non dogmatice.* Sic et S. Basilus in *Epist. LXIV. Dogmatica in docendo, agonistica in disputando adversus infideles et haereticos.* Porro agonistica alio nomine *gymnastica* audivit, ut Hieronymus in *Epist. ad Pammachium aliud est γυμναστικως scribere, aliud δογματικως*, subditque, aliud est quaerere, aliud definire, in altero pugnandum, in altero docendum est. Quamobrem universa quae ab Ecclesiae doctoribus in Theologia pertractantur, ad tria potissimum capita refert S. Asterius in *Homil. contr. avarit.* nimirum *δογματος ασφαλεια*, *dogmatis confirmatio*, *λυσις απορουμενης γραφης*, *solutio dubii loci*

Scripturarum, επανορθωσις των ηθων, *morum correctio*.

X. Agonisticae Theologiae disputationes διατριβαι *exercitationes* ab antiquis dicebantur, de quibus Hieronymus in cathalogo Justini: *in Vrbe* Roma τας διατριβας habuit, et Eusebius *Lib. vi. cap. vi.* de Origene εν Καισαρεια τας διατριβας εκοιητο *Cesareae exercitationes habuit*, quem locum miror, quo pacto Valesius interpretatus sit: *Cesareae domicilium fixit*. Dogmaticae vero Theologiae lectiones *Homiliae* vocitabantur, Eusebio teste *loc. cit.* tum et διαλεξεις *Sermones* ex Eusebio *lib. vii. cap. xxxii.* et εξηγησεις *Interpretationes*, ut ex Epiphanio Milevitano n. 4. Sed prima Christianorum aetate *Cathecheses* audiebant, quae Cathecumenis habebantur, et τοις φωτιζομενοις *illuminatis* (sive Baptizatis, nam baptismus φωτισμος *illuminatio*, et Baptismi fons φωτιστηριον dicebatur) cuiusmodi sunt Cyrilli quinque *Cathecheses*. Hinc Theologia alio

nomine dicta *Cathechetica*, quam hodie *Exotericam* aiunt.

XI. Succedit Scholasticae nomen, Theologiae additum, fortasse ob elegantiam, qua primitus a scholasticis pertractabatur. Scholastici enim iidem erant prisca aetate ac Rhetores, de quibus Auctor *dialog. de Orator. At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scenas scholasticorum, qui rhetores vocantur.* Vtebantur enim elegantiori dicendi modo, quam quod in foro obtinebat, ut testis est Svetonius de C. Albutio Silo, et Silvanus in *prooem. tract. de vero iudicio: Non id facere adnisi sunt, ut salubres, ac salutiferi, sed ut scholastici, ac disertis haberentur.* Atque nonnisi hac notione σχολαστικον se Theophrastus adpellavit apud Diogenem Laertium. Equidem, ut ingenue fatear, novum, et fortasse peregrinum meum hoc opinamentum de Scholasticae Theologiae nomine videbitur. Sed Serapionem Scholasticum habemus, nonum nempe, eumque praeclarissimum Alexandrinae Scho-

lae Theologum , hoc nomine salutatum λεγειν δεινος , ut Sozomenus narrat , ob *elegantiam ingenii* ut explicavit Hieronymus. Scimus hinc huiusmodi Theologiae tractationem summo loco antiquitus habitam apud Patres potissimum , catholicae veritatis propugnatores acerrimos. Non igitur Scholasticae vitio , sed hominum imperitiae , temporumque vicibus tribuendum , quod ineptissimis quaestionibus onerata maiestatem religionis quodammodo obnubilare videatur . Haec praelusisse haud importunum erit. Nunc ad Theologiae ortum , et progressum procedamus.

XII. Quum ea sit Theologiae natura , ut res divinas ex revelatis veritatibus deducat , nemo unus fortasse inficiaturus erit , Christum Dei filium , servatorem nostrum , et Apostolos primos fuisse huiusmodi scientiae doctores. Ipse enim Dominus noster ex vetusti Foederis tabulis , quas Hebraei reverebantur , plura hausit , confirmavitque , quae ipsi negabant. Hinc *Matth.* XXI. ex Psalmi

CIX. verbis *DIXIT DOMINUS DOMINO MEO*, suam aperte probat Divinitatem. Eodem insuper modo ex *Genesi II. PROPTER HOC ADHAEREBIT HOMO UXORI SUAE, ET ERUNT DUO IN CARNE UNA*, dissolvi non posse matrimonium recte concludit. Sic et *Lucae XXI.* animae immortalitatem ex verbis *Exodi III. DEUS ABRAHAM, ISAAC, DEUS IACOB* demonstrat. Quod ipsum et millies Apostoli in suis scriptis probe exequuti sunt.

XIII. Qui altero post Christum Servatorem saeculo floruerunt Ecclesiae Patres multa quidem Sacrae doctrinae capita pro re nata explanarunt, licet in eo toti fuerint, ut Christianam religionem ab Ethnicorum calumniis strenue vindicarent. Quod et de Patribus III. saeculi dicendum, splendidiori quamvis adparatu hac aetate, quam superiori, tradita fuerit divina doctrina in Gymnasio Alexandrino potissimum, ubi magni nominis florere doctores Athenago-

ras, Clemens Alexandrinus, Pantenus, Origenes, Heracla, Dionysius, qui sive in Apologiis pro Christiana Religione contra Ethnicos, sive in concertationibus adversus Iudaeos, aut eius temporis haereticos, argumentis etiam ex poetarum, et philosophorum penu decerpis, usi sunt.

XIV. At quarto, et quinto saeculo dialecticis argumentationibus armati haeretici, diris modis Dei Ecclesiam turbabant, dilaniabantque. Quamobrem Patres ad istorum cavillationes retundendas, Aristotelicae dialecticae, quam ante id tempus detestati fuerant, se toti mancipaverunt. Hinc pestes illius aetatis Arianos, Anomaeos, Nestorianos, Eutichianos, aliosque, qui sophismatibus, ad fidei veritates evertendas, omnia repleverant, strenue quidem, et subtili disputandi ratione insectati sunt Patres, Athanasius potissimum, qui una acie adortus est omnes. Scripsit enim libros, recte dicam ponderosissimos, non autem

scholarum methodo , sed unica , et perpetua oratione.

XV. Per id ipsum tempus ad Theologiam ornandam summis praesidiis instructus accessit Augustinus , magnus ille Christianae Religionis propugnator. Par fuit in eo foecundissimum , et versatile ingenium , et consummata in philosophicis disciplinis , et in arte dialectica potissimum exercitatio. Adversus hostes Catholicae doctrinae pertinacissimos in arenam pugnaturus descendit , fugavitque Arianos , Manichaeos , Donatistas , Pelagianos , Semipelagianos , aliosque. Quamvis vero absolutum aliquod Theologiae systema ab Augustino non habemus , ad *systematicam* tamen scribendi formam adprime accessit , et in plerisque Mysteriis praeclare adeo ratiocinatus est , ut nullus ferme alius ante illum. Quaestiones insuper maximi momenti , et intentatas antehac agitavit , pluresque solo ingenii acumine diremit.

XVI. Sed antequam ulterius nostra haec progrediatur oratio , haud abs re

animadvertere erit, Theologiam ex Sanctorum Patrum, Conciliorumque sententiis contextam, vel ab ipsis usque prioribus Ecclesiae saeculis originem habuisse. Hieronymus enim Elvidium Tertulliani, et Victorini testimonia sibi obiicientem compescit: *Numquid non possum tibi totam veterum scriptorum seriem commemorare, Ignatium, Polycarpum, Irenaeum, Iustinum martyrem, plerosque alios Apostolicos, et eloquentes viros, qui adversus Ebionem, et Theologum Byzanthium, et Valentinum, ad haec eadem sentientes, plena sapientiae volumina conscripserunt, quae si legisses aliquando plus saperes?* Sic item Augustinus in ipso operis sui adversus Iulianum Aeculanensem (Videsis quae de Iuliano edisseruimus in nostro Itinere Venusino in Aeculan. pag. 79. et seq.), et Pelagium ingressu, testatur se ad manum immensam testimoniorum struem habere, ex omnibus Sanctis Patribus contrasam ad hanc litem finiendam, sed ne longissimam instrue-

ret telam, panca producturum. Tam ex Graecis, et Latinis Patribus plerosque commendat, quibus et suffragatores adiungit quatuordecim Concilii Diospolitani Episcopos, in quo, imminentis anathematis metu, errorem suum Pelagius retractare coactus est. Huiusmodi igitur erat hac aetate Theologia, ex Graecis nempe, Latinisque Patribus, ex Conciliorum, et Pontificum decretis compacta; quod et in antiquioribus Patribus observare est, qui et sacras litteras, et superiores Patres in causae defensionem adduxere.

XVII. Sexto saeculo Aristotelis philosophia per virum nobilem, Anicium Manlium Torquatum Severinum Boetium in Ecclesiam Occidentalem inducta, ad aliquam systematis formam Theologia devenit. Magno is fuit Doctoribus scholasticis adiumento, qui Aristotelem sequuti sunt ducem, quamvis, quod mirum sane est, nihil Graece scientes. Hac primum aetate in philosophicis rebus systemata concinnandi mos obtinuit,

ut ex Boetii, et Cassiodori libris patet. Non defuere tamen et Theologiae compendia, licet rudia quidem et imperfecta. Studium hinc etiam in Occidentali Ecclesia invaluit sententias Patrum colligere, et summas elucubrare. Isidorus Hispalensis libros tres edidit sententiarum ex Gregorii Magni moralibus decerptas, quibus aliquid ex Augustini, aliorumque penu adiunxit. Leontius Cyprius locos Theologicòs communes, itemque ex Sanctis Patribus depromptos, conscripsit.

XVIII. Eadem ferme Theologiae ratio et VII. saeculo invaluit. Id amplius quòd eadem methodo (nihil nempe de suo interponere, sed omnia ex libris Patrum praecedentiam saeculorum conradere Theologi solebant) in Sacri Codicis interpretatione usi sunt. Hinc Catenae Patrum ortae.

XIX. Octavo saeculo Ioannes Damascenus vir eruditione, et sanctitate clarus, de fide orthodoxa libros quatuor scripsit, in quibus eam Theologiae ra-

tionem primus omnium adgressus est, quae proxime ad *scholastico-systematicam* accedit, quamque plerique Graecorum posthac sequuti sunt. In priori libro de Deo disputat, eiusque proprietatibus, et Personis, in altero de rerum creatione, potissimum de homine, de providentia, praescientia, praedestinatione, et de primi parentis peccato. In tertio de Incarnatione, de Persona, et de utraque Christi natura. In quarto idem discutitur argumentum, acceditque sermo de fide, et baptismo. Huiusmodi tamen divisionis, quum nullum plane vestigium in Graecis codicibus adpareat, facillimum est coniecere a Latinis eam excogitatam, et nisi maxime fallor a Ioanne Burghinione Pisano sub Imperatore Emmanuele Comueno, quam rem alibi ventilabimus.

XX. Saeculo nono non una aut altera inter Theologos exarsit controversia, ut in Occidente de Corpore et Sanguine Christi in Eucharistia, et de Praedestinatione adversus Gothescalcum

Monachum. Sed quae porro inter Orientalem, et Occidentalem Ecclesiam sub Photio Patriarcha Constantinopolitano oborta est, in apertum Schisma evasit. Hinc plura hoc saeculo de controversiis scripta prodierunt.

XXI. Barbarorum autem incursionibus, et bellorum incendiis universa Italia, atque Europa confligente, studia liberalium artium, et linguarum, litterarumque, quibus res Theologica plurimum iuvabatur, per haec tempora elanguerunt, inmo librorum et otii inopia penitus extincta sunt. Quare sequiori aevo nova prodiit disputandi forma, quam improprie Scholasticam dixerunt. Istius enim aetatis homines, dialecticae potius, quam Sacris Scripturis intenti, divinam doctrinam futilibus quaestionibus, tricis, et cavillationibus replevere. Per id tempus Berengarius, dialecticus experientissimus, Transubstantiationis dogma dialecticis armis invasit, quem tamen suismet armis divexavit Lanyangus, simulque ei Ecclesiae doctrinam,

Patrumque testimonia opposuit. Non diversae furfuris hominem Roscellinum Compendiensem hac ipsa aetate habemus, sectae *Nominalium* auctorem, qui nescio qua malesana dialectica pro Tribus Personis tres Deos ostentare videbatur, sed adversarium nactus est strenuissimum, Anselmum Cantauriensem, acerrimi ingenii virum, et metaphysicum, supra quam dici potest, exercitatissimum.

XXII. Decimo secundo saeculo iam sum extulit caput Scholastica Theologia, sed immutata valde ab antiqua decora facie; quandoquidem Scripturas, et Sanctos Ecclesiae Patres parcissime adtingentes, toti erant istius aetatis homines in contentionibus. Hinc adgravata dialecticis principiis Theologia, plena et conclusionibus, et cavillationibus. Quin nimius dialecticae, metaphysicaeque amor transversos adeo nonnullos egit, ut in gravissimas haereses inciderint, quemadmodum exemplo constat Ioannis Sophistae, Abaelardi, Arnoldi

Lugdunensis, Gilberti Porretani, aliorumque plurimorum, quos Sanctissimi illius aevi Patres, et Concilia abunde profligarunt. Quid quod tantam perniciem, tamque late manantem coercere enixe studuit Ecclesia; siquidem Anselmus Blesensis, et Bernardus, antiquorum Patrum vestigiis religiosissime insistentes, libertatem dialecticae cavillantibus execrati sunt, quam et sacris studiis insultantem Gregorius IX. ut convelleret, libros Metaphysicos Aristotelis Academiae Sorbonicae interdixit.

XXIII. Per idem sane tempus Theologiae systemata, sententiarum nomine obtinuerunt. Sed libri quatuor sententiarum Petri Lombardi adeo prae ceteris inclaruere, ut non inmerito primus Scholasticae, et systematicae Theologiae auctor Lombardus habeatur. Sane Dupinius arbitratur, vel ideo Petrum Lombardum novam istam sententiarum collectionem ex Patribus, Hilario potissimum, Hieronymo, Ambrosio, Augustino instituisse, ut malis occurreret,

quae ex Aristotelicae Philosophiae, et Christianae Theologiae commixtione dimanabant. Mox et commentarii in sententiarum libros invaluerunt, cuiusmodi haud paucos habemus.

XXIV. Saeculo Decimo tertio Thomas de Aquino veluti lumen Saeculi adparuit, quam gloriam Neapolitano nostro Regno Deus servarat. Theologiae summam is conscripsit, opus ordine, perspicuitate, et rerum copia commendatissimum. Tametsi vero ab Aristotelis philosophia prorsus non abstinerit, Aristotelem tamen recte, praeclareque interpretatus est; futilissimas quaestiones, quae per id tempus in Theologia agitabantur, reiecit, sacramque doctrinam ex Sanctis Libris, Conciliis, et Patribus ostentavit. De eo Erasmus: *meo quidem animo nullus fuit recentium Theologorum, cui par fuit diligentia, cui sanius ingenium, cui solidior eruditio, planeque dignus erat, cui linguarum quoque peritia, et bonarum litterarum supellex contingeret.*

XXV. Decimo quarto Saeculo subtilissimus Ioannes Duns Scotus ex familia Fratrum S. Francisci adversus Thomae placita acerrime disputavit. Thomistarum hinc et Scotistarum sectae ortae, quas inter eo animi ardore dimicatum est, ut vix hodie lites consopitae sint. Malum sane in Theologiam versum est, quam nempe obscurissimis, et futilissimis quaestionibus adgravarunt. Ad terminum usque XV. aevi huiusmodi subtilis, contentiosa, et tricis dialecticis quaqua versus deturpata methodus perduravit. Habemus tamen, qui per idem tempus non modo de rebus divinis sobrie, ut par est, disputarunt, sed supervacaneas etiam contentiones graviter perstrinxerunt, cuiusmodi fuerunt Ioannes Gerso Cancellarius Parisiensis, aliique plurimi.

XXVI. At humaniorum litterarum, et critices studium, quod decimo quinto declinante saeculo frequentari coepit, ut sanae philosophiae, sic quoque et germanae Theologiae novam, splenden-

temque parabat faciem. Saeculo hinc XVI. Hebraicae linguae, Ecclesiasticae historiae, critices, et eruditionis instructi praesidiis Theologiam pro dignitate tractarunt viri clarissimi, futilibus, et alienis quibuscumque resectis, longeque amandatis quaestionibus. Non parum ad haec promovenda studia profuerunt concertationes, quas Catholici contra Haereticos recens in Germania ortos habuerunt. Quorum plerique Scripturas, et Patres ad perversa suadenda dogmata detorquentes, linguarum peritiam, et sermonis conciunitatem, elegantiasque ostentarunt, ut ita pulverem in alienos oculos iniicerent. Contra quos vulgares Theologi, scholasticis innutriti subtilitatibus, ne hilum profecerunt, quin et ludibrio habiti nequiverunt sane arma adversa acie cum iis conserere. Quamobrem opportune quantum gravissimi Theologi senserunt, aliis armis sibi opus esse; atque e vestigio ineptis missis disputationibus, Sacrorum Librorum, et traditionum armis instructi, solidaque

adiuti philosophia Novatorum impetus strenuissime confregerunt. Non defuere tamen quibus fruge invecta, glandibus vesci potius libuit, quique satius domi inter perpetuas futilissimas contentiones versari, quam foris hostes solidis invictisque armis invadere duxerunt. Sed ea est nostro hoc aevo Theologiae conditio, ut e sophismatum dumetis ad liberioris campi spatia felici omine revocata, nativum decus, pristinumque nitorem recuperaverit.

Atque haec sunt, lector benevole, de quibus in ipso operis ingressu te monitum volebam. Vive diu.



DE LOCIS

THEOLOGICIS

DISSERTATIO I.

DE SACRA SCRIPTURA.

Si qua in toto disciplinarum orbe rerum simillimarum vel cognatio, vel societas est, profecto illa omnium artissima videtur, quae inter Theologiam, Scripturamque intercedit: ut si quis vinculum hoc non hominum opinione, sed ipsa rerum natura constrictum vel solvere velit, vel dissecare, vehementer alteram debilitari necesse sit, alteram vero prorsus dilabi. Vnde porro ea tanta similitudo, nisi quod Scriptura lumen ex Theologicis disputationibus hauriat, Theologia vero vitam, et robur omne ex illa accipiat? Ne-

que enim Theologo quid de Deo , eiusque legibus , quid de superis atque inferis , quid de vitis atque virtutibus fandi unquam copia fieret , nisi per Sanctas Scripturas , veluti per epistolam Omnipotentis Dei ad creaturam suam (verbis utor Beati Patris Gregorii) cum Deo misceret commercia , veritatemque ipsam audiret loquentem. Ex quo fit , ut disciplinarum omnium , aliarumque artium , studiorumque Scriptura finis sit , in quo conquiescimus , quippe ad vitae beatitatem unice spectat. Quamobrem Clarissimi Ecclesiae Patres quum in linguis , quum in dicendi copia , quum in philosophiis , ceterisque externis facultatibus comparandis diu multumque se exercuissent , non alio demum tendebant , quam ut veluti olim Aegyptiorum spoliis Israelitae , sic ipsi tanto penu suffarcinati Tabernaculum Dei exornarent. Porro quum is primus , et sine controversia maximus Christianae Theologiae fons sit , unde uberrimi argumentorum scatent rivi , hinc potissimum veluti a fundamento sermonem auspicamur , ut eo tandem iacto , ac constabilito , universum Theologiae aedificium tuto superstare possimus.

C A P V T I.

De Testamenti notione.

I. **D**E Divinis Scripturis disputationem adgressuri, illud primo videamus; quid TESTAMENTI nomine veniat; non enim ea vox supremas morientis tabulas notat, sed ex Hellenistici sermonis ingenio exponenda, sive ex dialecto illa, quam Judaei Hellenistae usurpabant (1), specie tenus graecani, at proprietate puram putam Hebraicam.

II. Quod igitur Hebraei בְּרִית *berith* foedus, id Septuaginta interpretes διαθηκην *diathecen*

(1) Judaeorum Hellenistarum meminit Lucas in *Act. Ap. VI. 1.* Hi qui fuerint, non huius est loci pluribus disputare, quam lis gravissima apud eruditos ferbuerit, Heinsium, Salmasium, Schookium, Croium, nec adhuc consopita sit. Ego vero Hellenistas hosce non alios puto quam Judaeos Graecissantes, quippe inter Graecos commorabantur, quorum lingua Hebraïsmis quaquaversus scatebat, licet specie quidem Graecanica esset; quem in modum LXX viralis Bibliorum versio conscripta est, tum et ab Apostolis novi Foederis tabulae.

adpellarunt, qua voce quum raro aliud quam ultimae voluntates apud profanos notentur, idcirco vetus interpret usitatiorem graeci vocabuli notionem more suo sequutus, *Testamentum* potius, quam aut foedus, aut aliud posuit.

III. Graecum tamen vocabulum ex hebraici *ברית* *berith* vi heic est exponendum, qua nonnisi pacta, conventionesque significantur. Vnde in *Epist. II. ad Corinth. III. καινη διαθηκη novum testamentum* opponitur *τη παλαια antiquo*. Atqui *καινη διαθηκη*, si hanc pro ultima Christi voluntate accipias, cum *παλαια* comparari non potest, non enim Deus moritur; Ergo *διαθηκη* nihil in Scriptura cum testamentaria notione habet commune (2).

IV. *Testamentum* itaque in Scripturis tantundem ac *διαθηκη* apud Hellenistas valet; *διαθηκη* vero tantundem ac Hebraicum *berith*, quo pacta, sponsiones, foederaque notan-

(2) Ac nonnisi unus est Apostoli locus *ad Hebr. IX. 16.* quo certe ad tritioem *διαθηκης* significationem spectavit, hoc est ad supremas tabulas: *Vbi enim*, inquit, *testamentum est, mors intercedat testatoris necesse est.* Quam in notionem scripsit Lactantius Firmianus *Divin. Instit. Lib. IV. cap. XX.* Ac hic sensus secundarius est, priori superadditus.

tur. Duo autem *Testamenta*, sive Dei cum hominibus foedera in Scripturis patent; alterum cum una Hebraeorum gente, eiusque conditore Abrahamo percussum, atque cum Mose repetitum; alterum cum Christiano coetu, quem Jesus Christus Dei Filius Salvator noster non ex solo Hebraismo, sed ex omnibus Gentibus coegit. Quemadmodum vero tribus potissimum feriri foedera consueverant; mutua repromissione, in qua adprime vis pactionis sita, sanguine, quo sanciebantur (3), ac publico instrumento, quo consignabantur; ita vetus novumque foedus his tribus perfectum habes. Nam ibi Deus Chanaanitidis possessionem Hebraeis promittit, hinc vitam aeternam Christus Dominus spondet, quam Chanaanitis adumbrabat. In illo gravissimae legis observatio, in hoc dilectio ab hominibus repromittitur. Vetustum illud foedus hinc

(3) Hinc foedera *ferire*, et *percutere* dicebantur; nam pecude caesa sanciri solebant. Vnde Hebraicum ברית *berith* ex radice ברע *beré*, quod est *succidere*. Morem Hebraeis, Graecis, Latinisque frequentissimum perbelle numi in Bello Sociali cusi exprimunt, quos in peculiari *Schediasmate* de numis Corfuiensibus produxi, et illustravi. Vide meum *Commentarium in mutilam veterem Corfuiensem Inscriptionem*. Neap. ex Typographio Regio.

corum, vitulorumque sanguine; novum istud filii Dei cruore sancitum est: illud vetustis, hoc novis Scripturarum tabulis, tamquam publico instrumento consignatum.

V. Porro autem non foedus utrumque tantum, sed cetera duo, quae sollemnitatis causa accedunt, passim *Testamenta* audire consueverunt. Hinc sanguinem vides eodem nomine donatum in Lucae Evangelio XXII. 20. et in *Epist. I. ad Corinth. XI. 25.* tum et ipsum instrumentum, quo Divinae sponſiones consignatae fuerunt: ut eo tandem ventum fuerit, ut vulgo vetus novumque *Testamentum* codicum potius putentur adpellationes. At Tertullianus *Lib. de corona milit.* ac veteres latini Patres continuo codices illos **Vetus Novumque INSTRUMENTUM** scitissime nuncuparunt, quippe noverant, eos commentarios, non nisi publicorum tabellionum instrumenta esse, quibus divina foedera tradita fuere.

VI. Verum antequam hinc abeam, orationis opportunitate moneor, ne reliquas Sancti Codicis adpellationes praeteream. Passim enim Divini libri **SCRIPTURAE** dicuntur, ut quum Dominus noster inquit Matth. XXI. 42. *Numquam legistis Scripturas; et seq. erratis nescientes Scripturas*, et mox: *quomodo im-*

plebuntur Scripturae. Eodem modo multis abhinc saeculis usus invaluit, ut BIBLIA dicerentur. Quorum causa nonnunquam non alia certe, quam quod tum auctoritatis pondere, tum eruditionis plenitudine libros omnes longissimae superant, Sapientiarum enim omnium haec (Scriptura) magistra est, ut ille dixit apud Augustinum, per quam fide ornatur, spe confirmamur, et charitate corroboramur, quam qui invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.

C A P V T II.

De duplici populo Dei foederato Hebraeo, Christianoque.

I. **Q**UUM recens Dei unius Creatoris memoria, mundo adhuc recente, mortalium animis inhaereret, nulla utique idololatria eos invasit. At ubi vivida illa veri Dei recordatio, a patribus ad filios continua traditione transmissa, paullatim oblitterari incoeperit, simul idolorum cultus in mundum intravit, eoque brevi processit, ut mortalibus cunctis superstitione inquinatis, pauci quidem ex Hebraeis familia unius Dei veritatem tenuerint.

Ea ex gente satus Abraham, sed in Vr Chaldaeorum, nimirum media in gentilitate ortus, qua facile erat ut ad idola se verteret. Quamobrem Deus peculiarem sibi stabiliturus populum, qui sinceræ fidei tenax esset, Abrahamum elegit, cuius ex lumbis gens sancta prodiret. At ne qua superstitionis contagione cum illè, tum populus ex eo nasciturus pollueretur, Abrahamo adfuit, eumque iussit de terra, et cognatione sua exire, atque in Mesopotamiam proficisci, inde postea in terram Chanaan transducendum (4). Atque hæc est

(4) Tunc primum Abraham *Gen. XIV. 13.* HEBRAEUS est adpellatus; quod nomen filijs posterisque suis est propagatum. Unde vero huiusmodi deflexerit adpellatio, lis magna est apud Clarissimos Viros. Nisi quod plane in eo conveniat pars horum potissima, quod quemadmodum *transalpini, transpadani* ii dicuntur, qui ex *transalpinis, transpadanis* oris advenere: soletque parentum adpellatio ad posteros transmitti: sic Abrahamus, qui trans fluvium Euphratem habitabat, Deique iussu amnem transmiserat, ut in Chanaanitide consideret, *Hebraeus* idest *transitor* sit dictus, idque nomen in stirpem ab eo satam sit productum. Cui favet LXX. Viralis versio, in qua Genesis illud *XIV. 13.* in quo Abraham *Hebraeus* dicitur *περατης transitor*, sive

illa perillustis Abrahamitica vocatio ; qua fidei , religionisque Israeliticae primordia ducuntur.

II. Tametsi vero cum hac gente , in primis vero cum eius conditore Abrahamo Deus primum icerit foedus , de quo supra disputatum , non omnes tamen Abrahamidas fuisse Dei foederatos constat , sed eos tantum , qui ab Abrahamo per Isaacum , Jacobumque dimanarunt. Atque ex eo intelliges , quod quoties Hebraeis Deum invocare oportuerit , Deum Abraham , Deum Isaac , et Deum Jacob sedula inculcatione adpellabant. Porro iidem etiam ISRAELITAE audiebant , ab Israele scilicet , altero Jacobi nomine , qui duodecim filios totidem tribuum Patriarchas suscepit , Sed et ultimis temporibus hi ipsi IUDAEI passim a tribu Juda adpellati , quae una , duce Zorobabele , florens atque integra a deportatione rediit , cui deinceps Beniaminitae , decemque aliarum tribuum parvae laciniae immistae fuerunt.

III. Adhuc unum itaque Hebraeorum po-

transannicus legitur , convenitque cum Josue XXIV. *Trans fluvium habitaverunt Patres vestri* , quo loco in Hebraico textu habetur *de Heber fluvii* , hoc est *de trans fluvium*.

pulum Deus foederatum habuit ; ceteri vero *hospites testamentorum* erant , uti loquitur Paullus , atque in pravis errorum tenebris consepulti a veritate deerrabant. Ex quo Psalmographi vocem illam intelligere datur : **NOTUS IN JUDAEA DEUS** quippe iustitiae Sol non nisi uni terrarum angulo , Palaestinae adfuserat.

IV. Atque vero Israeliticum huiusmodi foedus non nisi exemplar , et lineamentum quoddam futuri , et longe divinius foederis fuit ; quod aliquando Deus cum universis nationibus per Jesum Christum mediatorem , atque sequestrum erat sanciturus. Nam ubi plenitudo temporum advenit , iam umbrae imago successit , atque in proclivi fuit , ut Hebraeorum Republica , quae veluti praeludium erat Ecclesiae , dissolveretur.

V. Vbi igitur sanguine suo sanctissimo Christus perillustre foedus cum Ecclesia a se fundata sanxisset , ecce Centurio Cornelius , gentium primitiae , Ecclesiae se adiunxit. Quo inter novos foederatos adlecto , eorum omnibus ianuam illam patefactam , quae unis Hebraeis adhuc usque , exclusis gentibus , patuerat.

VI. Obstrepebant interea Judaei. non esse Testamentum Domini profanandum , proi-

de si qui ex Ethnicismo ad Ecclesiam adspirarent, ea lege accipiendos, ut non prius aditum ad Ecclesiam haberent, quam per circumcisionem, ceteramque rituum Mosaicorum observationem, Judaismum amplexi fuerint. Atque eo dissidium illud processerat, ut non nisi primo omnium Concilio Hierosolymis coacto (*Act. XV.*) dirimiliis potuerit, causa cadentibus Judaeis.

VII. Ergo prope bis millesimo a priore foedere anno, maximum illud a Prophetis omnibus Vocationis Gentium opus consummatum est; dum interea universus orbis praecognibus Evangelicis personaret, atque ex ultimis usque terrae partibus confertim nationes ad reseratas sibi Ecclesiae fores festinarent. Ac merito tunc voci Propheticae: **NOTUS IN JUDAEA DEUS** occinebat Apostolus in hunc modum: **NUMQUID JUDAEORUM TANTUM DEUS? NONNE ET GENTIUM? IMMO ET GENTIUM.** Atque haec de Veteris novique foederis Oeconomia. Nunc cetera persequamur.

CAPUT III.

*De Iudaico Librorum vetusti
Foederis canone.*

I. **K**ανών *Canon* Graeca vox est, et regulam, sive rectitudinis normam significat; fortasse ab Hebraico קָנָן *kaneb* calamo scilicet, qui rectus est, rectique mensura. Hinc ea vox ad tabellas quoque oblongas translata est, quibus indices inscribi solebant. Vnde *Canonibus mathematicis, chronicisque et paschalibus* factum nomen: Vnde *Canonicarii* dicti, qui a descriptis in Canone sive in tabellis pensitationes exigebant; ex quo *Canon frumentarius* apud Lampridium in *Heliogab.* et *Canon aurarius* apud Spartianum in *Sever.* Hinc et *Canonici*, quippe quum clerici uni certae Ecclesiae essent addicti, in canone, seu albo describi solebant, quo sensu usurpatam habes vocem in Concilio Nicaeno, Chalcedonensi, et Antiocheno. Hinc et *Canon Missae*, quod in eo fidelium, Episcoporum, Martyrumque nomina ex Canone, seu dyptychis recitabantur. Postremo hinc quoque *Sacrorum Librorum catalogus*,

Synagoga, Ecclesiaeve palam propositus, Canonis nomen nactus est.

II. Suum vero Synagoga, suum Ecclesia canonem habuit. Ac Judaeorum in primis (quos *capsarios nostros* Augustinus adpellat, quandoquidem ab his Ecclesia Divinos Libros acceperit) canon est disquirendus.

III. Duos et viginti libros in suo Canone numerasse Judaeos Josephus auctor est *Lib. I. contra Apionem*, tum et Origenes. Atque hi in tres partes tributi, legem, prophetas, et *αγιογραφα* (5). Lege continebatur Pentateuchus, sive quinque Mosaica volumina, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Prophetae autem octo recensebantur *Josue*, *Judices* una, cum *Ruth*, *Samuel* qui nobis est Regum primus et alter, *Melachim* qui Regum est tertius, et quartus, *Isaia*, *Jeremia* cum suis threnis, *Ezechiel*, et *Prophetae minores* duodecim. Succedunt Hagiographi libri novem: *Job*, *Psalmi*, *Proverbia*, *Ecclesiastes*, *Cantica Canticorum*, *Daniel*, *Paralipomenon* libri duo, *Esdras* cum *Nehemia*, et *Esther* (6).

(5) Dignus qui hanc in rem conferatur Hieronymus in *Prolog. Galeat.*

(6) Olim quidem plures erant Judaeorum libri, quam qui in eorum Canone nunc recensentur.

IV. Cur autem eo maxime numero delectati sint Judaei, quum facile potuissent plures paucioresve recensere, non alia extat caussa, quam quod totidem Hebraici Alphabeti litterarum numerum sibi proposuerint (7). Quod S. Gregorius Nazianzenus pereleganter expressit :

tur. Laudantur enim *Num. XXI. Liber Bellorum Domini*; *Josue X. Liber Justorum*; *III. Reg. XIV. Liber verborum Salomonis*, eodemque libro *Liber verborum Regum Juda, et Regum Israel*; alibi *Samuelis, Nathan, Gad, Abiae, Abiae Silonitis, Ado, Semciae, Jehu filii Hanani, Hozai*, aliorumque prophetarum, ut et Salomonis tria millia parabolarum, et plus mille Cantica; postremo *liber Enoch* in Judae Epistola. De quibus libris tametsi alii alia senserint, potior mihi videtur Augustini sententia censentis, eos scriptos a Prophetis, sed ut hominibus historica diligentia, non ut prophetis divina inspiratione.

(7) Id quod apud Graecos factitatum video. Hinc qui Homeri Rhapsodias in libros partiti sunt, parem Graeco alphabeto numerum sequuti sunt. Nec aliam caussam Laertius *Lib. V. 44.* adducit, cur Theophrasti legum libri quatuor et viginti numerentur. De Aristotelis philosophia praeter Laertium idem scribit Caelius Rhodiginus *Var. Lect. Lib. XVII. 19. Nam phy-*

Haec veteris septem , ac ter quinque volumina pacti.

Bina et viginti Solymorum elementa figurant.

V. Porro Canonis huiusmodi auctorem non alium quam Esdram fuisse veteres iuxta Judaei , ac recentes docuerunt , quorum recepta traditio est , Scripturarum Canonem Esdrae aetate clausum fuisse , ita ut nefas fuerit alios posthac in Canonem admittere. Nec porro fides Genebrardo (*chronol. Lib. III.*) habenda , unum duosve alios Canones post Esdrinum inducenti , in quem relati fuerint Tobiae , Judith , Ecclesiastici , Sapientiae , ac Machabaeorum libri (8). Nam quum Synodorum a Genebrardo recensitarum , in quibus ii Canones conditi , nusquam nec vola ,

sicorum libri elementa graeca implent omnia , quodque in Moralibus , itemque in Metaphysicis observat. Nec praeteream quod de Manetis] libris inquit Epiphanius Haer. LXVI. 13. Libros varios edidit , quorum unus viginti duas in partes distributus est , alphabetica ratione pro litterarum scilicet , quibus utuntur Syri , numero.

(8) Id quod falsissimum est , et Josepho adversum , quippe *Lib. I. contr. Apionem* tradit , duo et viginti dumtaxat volumina gentem suam usurpare , veterem omnem anteaevi temporis me-

nec vestigium sit, et libri in Esdrae Canonem non relati a Judaeis pro Canonicis nunquam habiti sint, vero illud similis est, unicum ante Christum Dominum fuisse editum Canonem a Synagoga Magna, sive Concilio totius nationis, primas in eo partes agente Esdra, Viro patriae antiquitatis, Hebraicorum rituum, sacrarumque litterarum peritissimo.

VI. Quum enim Judaei post solutam captivitatem ad Dei cultum instaurandum, Divinarum, humanarumque legum restituendarum curam suscepissent, viros gentis suae, sapientia, et eruditione praestantissimos (qui Principes captivitatis, vel Synagoga Magna dicti) ad hoc opus elegerunt, quos inter cooptatus Esdras, postquam Babylone reversus est. Hic quum Sacri libri partim Hierosolymae excidio cremati, partim in deportatione Babylonica essent amissi, eos restituit, instauravitque.

moriam continentia, et a Mosis usque ad Artaxersis Longimani aetatem conscripta: Ex hoc vero tempore omnia quidem fuisse in litteras relata, sed non pari auctoritate praedita. Unde pronum est intelligere; post Babylonicam calamitatem Sacros Libros instauratos fuisse, eorumque Canonem sub Longimano fuisse clausum.

VII. At quo pacto eos restituerit, non adhuc constat. Sane ea fuit nonnullorum Patrum opinio, Tertulliani, Irenaei, Clementis Alexandrini, omnia prorsus Bibliorum exemplaria, vel incendio Templi Hierosolymitani conflagrasset, vel tempore captivitatis Babylonicae ita fuisse dissipata, ut necessum fuerit ea de novo ab Esdra reparari.

VIII. Profecto tamen his Auctor apocryphi *Libri IV. Esdrae* imposuit, qui innumeris fabulis quaqua versus scatet. Nam quis tantam fuisse urbis cladem, et vastitatem credat, ut ne apud privatos quidem homines ulla superstiterint Sacrorum Codicum exemplaria? Quis credat, tanta cura Jeremiam et Sacerdotes Ignem Sacrum, Arcam cum Altari Thymiamato, et Candelabro aureo in latebris servasse; solas vero neglexisse Scripturas, rebus illis longe nobiliores? Quis credat Ezechielem, Mardochoeum, Danielem, Esther, Tobiam adeo socordes fuisse, ut nulla Sacrorum Codicum cura eos tetigerit? Quin immo ex adverso servatos eos liquet. Enimvero Danielis IX. testimonium profertur ex libro Mosis: *Sicut scriptum est in lege Moysi, omne malum hoc venit super nos. Tum et ex Libro Jeremiae: Ego Daniel intellexi in libris numerum an-*

norum, de quo factus est sermo Domini ad *Jeremiam prophetam*, ut complerentur *desolationis Jerusalem LXX. anni*. Ergo *Judaei* dum in captivitate detinebantur, *Mosis*, et *Jeremiae* libros habebant. Praeterea *Esdras* (*Esdr. II. 8.*) tulisse librum legis *Mosis* dicitur, et in frequenti populi conventu legisse; ex quo *Esdras* *Babylonicae captivatis* tempore habuisse apud se librum *Mosis* constat.

IX. Porro quum omnia quae *Chaldaei*, captis *Hierosolymis*, aut incenderunt, aut destruxerunt, aut *Babylonem* asportarunt, minutatim in quarto *Regum Libro cap. XXV.* et in *Secundo Paralipomenon XXXVI.* et apud *Jeremiam III.* commemorentur, nulla prorsus de sacris libris tunc combustis fit usquam mentio. His accedit luculentum *Josephi* testimonium *lib. II. Antiq. Jud. cap. 1.* referentis *Cyrum Regem* non alia de causa fecisse *Judaeis* reficiendi templi potestatem, quam quod ex *Isaiae* libro a *Judaeis*, vel ut tradit *Theodoretus*, ab ipso *Daniele* ei ostensum fuerat, *Deum* per *Prophetam* iam pridem antequam nasceretur sibi amplissimum promississe imperium. Extabat igitur *Cyri* aetate, tot annis post *Vrbem emersam*, templumque flammis absumptum, atque *Judaicae gentis*

vastationem, nimirum diu ante Esdrae re-
 stauracionem, integer Isaiæ vaticiniorum liber.

X. Potius igitur Chrysostomo *Hom. VIII.* in
 Epistolam ad Hebraeos adsentior, qui Esdram
 eo sensu Judaici Canonis auctorem dici putat,
 et Bibliorum instauratorem, quod quum es-
 set scriba doctus, et in sermonibus Domini
 eruditus Libros Sacros dispersos collegerit,
 collatisque pluribus inter se exemplaribus re-
 censuerit, atque in unum corpus, seu ca-
 nonem compegerit, non sine publica Syna-
 gogae auctoritate, quae vidit opus, proba-
 vitque (9). Id quod ex veteri Judaeorum
 more factum, quo (Josepho teste in primo
 contra Apionem) post composita bella, si
 qua diu exarsissent, veteres Scripturae a Sa-
 cerdotibus recognosci, relegi, ac renovari
 debebant.

(9) Nec alia fuit Hilarii *Praef. in Ps.* Theo-
 doreti in *eumd. Loc.* et Hieronymi *Lib. adversus
 Helvidium* opinio. Digni qui hanc in rem confe-
 rantur Bellarminus *Lib. II. de Verbo Dei*; Cal-
 metus *Dissert. de restauratione Sacr. Libr.* Pere-
 rius *Praef. in Genes.* Baronius *ad an. Ch. CLXXX.*
 et postremo Prideauxius *Lib. V. Hist. Judaeor.*
 ad annum CCCCXLVI. ante Christum.

CAPUT IV.

*De Ecclesiastico utriusque
Foederis librorum canone.*

I. Quos vetusti foederis libros Judaicus Canon probavit, hos et vetus Catholica Ecclesia recepit, ac praeterea Novi Instrumenti volumina quae sequuntur. *Quatuor Evangelia, Acta Apostolorum, Paulli Epistolae* (excepta ultima quae est ad Hebraeos) *primam Petri, et primam Joannis.* De ceteris libris aliquando a nonnullis dubitatum est, donec in Tridentinum Canonem sunt adsciti (10).

II. Atque hinc orta apud Theologos librorum distinctio inter *Protocanonicos*, de quorum fide nequam dubium fuit, quippe

(10) Sunt nimirum ex veteri Testamento: *Baruch; pars Danielis* (scilicet hymnus trium puerorum, Susannae, et Beli, et Draconis historia) *Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, Machabaeorum primus, et alter.* Ex Novo autem sunt Caput ultimum *Marci, Historia de sudore Christi sanguineo apud Lucam cap. XXII. Historia de muliere adultera Joan. cap. VIII. Epistola ad Hebraeos*

principio in Canonem Judaeorum recensiti, atque ab Ecclesia recepti, et *Deuterocanonicos*, qui tametsi in corruptionis suspicionem adducti; per Ecclesiam posthac, supremum controversiarum iudicem, sunt in canonem relati.

III. Ferre autem heic nullatenus possum cum antiquos haereticos, quorum alii alios libros pro sua libidine rejecerunt, tum ultimi temporis heterodoxos, qui in id conveniunt, ut admissis dumtaxat protocanonicis, cetera veteris foederis secundae admissionis volumina repudient, quippe constantem se non videre adfirmant de iis traditionem. Nam quod ad universos cum veteris, tum novi Foederis Deuterocanonicos pertinet, quidquid obgannunt, de iis aevum Apostolicum, tum et sequentes aetates optime constat iudicasse, et ex iis fidei morumque regulas hausisse.

IV. Nec porro ut librorum constans dicatur traditio, necesse est, ut nulla unquam Ecclesia de iis dubitarit (alioqui quid Estheris libro fiet, quem etsi Judaeis Canonicum, tamen Melito Sardensis apud Eusebium in IV. *Hist.* Auctor Synopseos, et Nazianzenus reie-

Epistola *Jacobi*; *Petri* Epistola II *Joannis* secunda, et *Judae* tertia, et denique *Apocalypsis*,

cerunt?) nam satis est si pars Ecclesiarum maior eos adoptarit. Neque enim ulla ferme Ecclesia erat, quae non aliquem librorum expungeret; tametsi nullus deuterocanonorum erat, qui non a maiore Orbis Ecclesiastici parte reciperetur. Quid quod integrum Tridentinum Canonem iam antea Innocentius Primus in *Epist. ad Exuperium*, Carthaginiensis Synodus tertia; cui Augustinus interfuit, Gelasius in Romano septuaginta Episcoporum Concilio, tum et Augustinus ipse in *Epist.* CCXXXV. consecrarant. Gravissime ergo a Tridentinis Patribus actum est: quum veterem iam, ac receptam de librorum numero traditionem suis calculis roborarint, ac protocanonicis hos quos deuterocanonicos vocant, per omnia exaequarint.

C A P V T V.

De Hebraico Graecoque Scripturarum textu; eiusque integritate.

I. **H**Ebraicum textum Judaeorum fraude nunquam corruptum, neque ante Christi Sal-

vatoris nostri adventum, neque per sequiora tempora, praeter dubitationem omnem positum arbitror. Nam si Scripturas ante Christum natum depravassent Hebraei, profecto Christus eos neque ad eas perscrutandas amandasset *Joan. V.* neque ad audienda quae scribae supra cathedram Mosis docebant *Matth. XXIII.* quin potius eos de tam insigni crimine redarguisset, quum et his leviora non tacuerit. At vero sequiori aetate neque sollicitas, neque corruptas, vel hinc cuique constabit, quod Judaeorum gens longe lateque diffusa in id scelus conspirare non poterat, ut cuncta per orbem dispersa exemplaria ex omnium consensione mutilarentur. Quid quod in Mose et Prophetis testimonia legimus, ita quidem ut a Christo, et Apostolis adducuntur; quod sane argumentum, veluti omnium potentissimum in primis Hieronymus, et Origenes urgent. Quid enim? numquid Christus et Apostoli ea testimonia sic protulerunt, quemadmodum per Spiritum Sanctum agnoscebant postmodum depravanda?

II. Porro autem quanta religione Judaei Scripturas sint perpetuo prosequenti, nemo nisi fortasse stipes ignorabit. Tripho quidem apud Justinum Martyrem (*Dial. cum Triph.*) ex Judaeorum consuetudine adfirmat, qui

Scripturas vitiaret, aequè reum haberi, ac si in idololatria deprehensus esset, aut filios alienis diis devovisset, vel prophetam occidisset. Religionem autem recentium Judaeorum adhuc scimus, ut si in terram liber Sanctus forte deciderit, publicum indicere soleant ieiunium, ut Joannes Isaac testatur in responsione ad Lintani librum de optimo genere interpretandi.

III. Quod si vero tantam fraudem Judaei adhibuissent, certe ob perversum in Christianos animum, vel in auferendis, corrumpendisque iis vaticiniis adhibuissent, quae de Christo, novaque lege scripta erant. Quod neutiquam notamus, quum ea in quibus Hebraici codices a Graecis, et Latinis dissentiunt, nullius sint pene momenti ad fidem. Quid quod Philo auctor locupletissimus est in Libro de egressu filiorum Israel de Aegypto, ne verbum quidem fuisse in eorum lege immutatum ad sua usque tempora, elapsis annis plus bis mille.

IV. Equidem scio, nonnullos, quo facilius Judaeorum hac in re perversitatem suadeant, iterum iterumque testimonia Patrum urgere: Justini, Irenaei, Tertulliani, Origenis, Chrysostomi. Sed praeterquam quod Patres hi non de textu Hebraico, sed de

versionibus per Judaeos curatis loquuntur , accedit insuper quod huiusmodi suspicio Hieronymi opera penitus evanuerit. Quum enim Patres in suis contra Judaeos concertationibus LXX. viralem versionem opponere soleant , qua evincerent , iam advenisse Messiam , eumque Christum fuisse : Judaei , quibus nullum aliunde patebat effugium , vel secus legi in textu Hebraico loca illa respondebant , adeoque septuaginta Senum versionem veluti corruptam accusabant ; vel ea in Hebraico textu omnino deesse , adeoque fuisse a Christianis dolo in versionem inclusa. Ex quo factum , ut Patres , quippe Hebraicae linguae ignari Hebraicum fontem adire nequirent , per eos Hebraicum textum depravatum quererentur. Tantam imposturam Hieronymus detexit Hebraicae linguae peritissimus , palamque primus fecit , testimonia illa a Patribus in Judaeos adducta , in Hebraicis codicibus adamussim extare , nec nisi per summam impudentiam a Judaeis negari ; immo maiorem quandoque vim in Hebraico textu habere , quam in versionibus. *Judaei (verba Hieronymi sunt) ipsi contra se legunt , et quae sua sunt nescit Ecclesia.*

V. Nihil porro quidquam de Graeco Novi Testamenti textu dicam , cuius integritatem

innumera argumentorum momenta confirmant.

I. Servari autographa in Ecclesiis diligentia singulari consueverant, ut nulla prorsus vitio daretur occasio. II. Exemplaria ubi extrahi opus, cum autographis conferebantur, ut statim constaret si quid fraude additum, vel ademptum, vel omnino immutatum. III. Quum eiusmodi exemplaria in infinitum prope succreverint, dispersaque passim sint per loca ingenti terrarum tractu seiuncta, iam prope in tantum scelus conspirare non poterant homines tam multi, et genere, et instituto dissimiles. IV. Evangelia quae Valentinus Marcion, alique conspurcarunt, amandata cito fuisse ab Ecclesia inter fabulas scimus. V. Graeci Patres Ignatius, Clemens, Justinus, Irenaeus, alique Apostolicis temporibus viciniore, sexcenta prorsus testimonia in suis exercitationibus adducunt, quae verbo tenus in Novi Testamenti libris, ne apice quidem immutato, leguntur. Quod si autem aliqua corruptio in Graeco textu fuisset, profecto in tot tantisque Graecos inter et Latinos concertationibus, Latini eam Graecis obiecissent, maxime vero in Concilio Lugdunensi, et Florentino.

VI. Etsi vero Hebraicus, Graecusque textus in iis quae ad fidem et mores pertinent,

puri sint , et incorrupti , non ita tamen puri sunt , ut in levibus quibusdam turbidi alicubi non fluant. Quod profecto factum est vel oscitantia librariorum , quum in Hebraeo facile sit errare ob litteras quasdam simillimas , vel Rabbiorum imperitia qui puncta addiderunt : quum enim Hebraicae dictiones absque punctis varie legi possint , mirum non est si ipsi in punctorum notatione erraverint. Attamen non tanti sunt momenti errores huiusmodi , inquit Bellarminus *Lib. II. de Verb. Dei* , ut Scripturarum integritas desideretur. Plerumque enim tota variarum lectionum discrepantia in dictionibus quibusdam posita est , quae sensum vel parum , vel nihil mutant. Errores autem , qui ex punctorum additamento acciderunt , nihil omnino veritati officiant : puncta enim extrinsecus addita sunt , nec textum mutant. Possumus puncta detrahere , et secus legemus.

C A P V T VI.

De Graecis Scripturarum editionibus.

I. **D**Uas ante Christum natam Graecas Bibliorum interpretationes extitisse , ferme con-

stans est apud eruditos opinio. Alterius quidem ante expeditionem Alexandri Magni, iam tempore Manasse Regis Juda conscriptae meminit Clemens Alexandrinus *Stromat. Lib. I.* quamque in Graecorum Sapientum manus incidisse; Platonis, Pythagorae, aliorumque qui plura in suos libros importarunt, proum est iudicare. Alteram versionem emendationem atque integram de novo per LXX. Senes conficiendam Ptolemaeus Philadelphus Aegypti Rex curavit.

II. Quum enim Demetrius Phalereus Atheniensis, vir nobilissimus, summisque functus honoribus, Civium vero invidia patria expulsus apud Aegyptum diverterit, Regique Ptolemaeo (a quo librorum undequaque conquirendorum sibi cura commissa) nunciaverit: multa Hebraice exarata legum volumina apud Judaeos extare, digna profecto, quibus regia ornaretur bibliotheca, incensus inde Rex Eleazarum tunc temporis Hebraeorum Pontificem datis litteris rogavit, ut ea monumenta ex Hebraeo in Graecum sermonem transferri curaret. Lecti e vestigio sunt ab Eleazaro Viri LXXII. ex singulis tribubus seni, Hebraice, Graeceque callentissimi, atque probitate conspicui, iique ad Regem delegati. Hos Demetrius in Insulam Pharon

stadiis VII: ab Alexandria positam duxit , quorum opera Bibliorum interpretatio felici ausu coepta est , atque feliciori successu absoluta.

III. Tametsi vero Hieronymus in *Quaest. Hebraicis* Aristaeum fortasse , et Josephum sequutus , solum Pentateuchum putet per LXX. viros versum : Justinus tamen , Irenaeus , Tertullianus , Clemens Alexandrinus , et recentiorum ferme doctissimi , totius Veteris Testamenti interpretationem per eos confecta tradunt. Nec porro Josephus , et Philo unius legis mentionem facientes huic refragantur opinioni. Quotus enim quisque est , quem lateat , legis nomine universum Vetus Testamentum venire ? Satis est id ex ipsis Scripturis eruere. Nam *Joan. X. nonne scriptum est in lege vestra , quia ego dixi Dii estis?* hoc tamen non in Pentateucho , sed in Psalmo LXXXI. habemus. *Ibidem XI. ut adimpleatur sermo , qui in lege eorum scriptus est quia odio habuerunt me gratis ;* hoc autem extat in Psalmo XXIV.

IV. Quod autem Justinus Martyr in hortatoria oratione refert , interpretes illos singulos singulis cellulis inclusos , quum nihil inter se conferrent , mirifice in omnibus consensisse , haud

immerito falsitatis arguit Hieronymus *Praefat. in Pentateuch.* nec nisi in eadem basilica sedentes illos, et inter se conferentes, Scripturas transtulisse contendit. Justinus vero facile decipi hac in re potuit a Judaeis. ruinas conclavium ostendentibus; et a Justino demum Viro Sancto decipi facilius potuerunt Irenaeus *Lib. III. cap. XXV.* Cyrillus in *Catechesi IV.* Augustinus *Lib. XVIII. de Civ. Dei cap. XXIV.* Clemens Alexandrinus *Stromat. Lib. V.* ac Justinianus Imperator. *Novel. CXLVI.* qui unum iis omnibus septuaginta duobus spiritum ait fuisse.

V. Instituta porro huiusmodi translatio est anno, ut fertur Ptolemaei Philadelphi XVII. qui est Olympiadis CXXVIII annus primus, ante Christum natum circiter CCLXVI. Ceterum haec firma rataque non sunt criticis. Dubitatur enim in primis de libro, quem nunc habemus Aristaei nomine, ex quo historia LXX. Seniorum deprompta, ac de Aristaeo ipso.

VI. Josephus Scaliger primus, nisi maxime fallor, in observationibus ad Chronicon Eusebii, quem sequuti sunt Henricus Valesius, Richardus Simonius; Pagius, aliique, universam Aristaei orationem ab Judaeo quodam hellenista profectam contendit, cum ex

tuugis , fabulisque quibus Aristaei liber exundat , quae ingenium produnt omnino Judaicum , tum vero ex immodicis laudibus , quibus Jadaica gens , et religio , et leges effe-
runtur , nec non ex numero interpretum LXXII. qui familiaris erat Hebraeis , siquidem tot viris Synedrium constaret.

VII. Verum Walthonus , Serarius , Gretse-
rus , Isaac Vossius , et innumeri alii nonnisi intemperantioris criticae pruriginem hanc esse volunt. Mihi autem ea omnia momenta leviora quidem videntur , quam quae historiam tot illustrium Judaeorum , ac Sanctorum Patrum testimoniis , et constanti traditione probatam , ac firmatam elevent. Nam Aristobulus Judaeus , philosophus Peripateticus , qui floruit regnante in Aegypto Philometore , quarto post Philadelphum Rege , mirum quantum Aristaeanae consentit historiae. Josephus quoque , et Philo , qui multa ex Aristaei libro hauserunt , non ita rudes fuerunt in suae gentis historia , ut versionem hanc a Septuagintaviris factam asseruissent , nisi communis haec Judaeorum fuisset persuasio , maiorumque traditio , publicis fortasse etiam contestata monumentis.

VIII. Quod si nihilosecias ea historia ut commentitia reiiciatur , mali tamen nihil translationi isti infertur , quae diu magni habita

est in Synagoga et Ecclesia. Ea enim ab Apostolis laudata est, neque alio instrumento Christiana fides per universum orbem propagata est (11): unde *ostium ad Christum* eam adpellat Chrysostomus, et alibi *Evangelii prodromum et praeparationem*. Quam et adhuc pleraeque retinent Ecclesiae; neque aliam aetate nostra retineret fortasse Orbis Catholicus, nisi novam Hieronymus ex Hebraicis fontibus translationem edidisset. Sed de versione Septuagintavirali hactenus.

IX. Aliae praeterea post Christum natum Hebraici textus versiones Graecae concinnatae sunt. Prima quidem ab Aquila Pontico, gentili primum, deinde Christiano, demum Hebraeo, anno Hadriani Imperatoris XII. Christi CXXIV. Altera est Symmachi, natione Samaritani, posthac Judaei, deinde Christiani, postremo Ebionitae haeretici, qui versionem ex fontibus Hebraeis curavit sub Severo Imperatore (pessime sub Lucio Vero apud Epiphanium) anno Christi plus minus CC. post editionem vero Aquilae LVI. Tertiam elaboravit Theodotio ex Catholico, ac deinde haeretico Mar-

(11) Praeclare id argumentum Epiphanius urget *Lib. III. advers. Haereses cap. XXV.*

cionita , Proselytus Judæorum , sub Commodo Imperatore Anno Ch. circiter CLXXX. cui maior est habita fides , nec nisi eius versione in Daniele usa semper est Ecclesia , Hieronymo teste. Quarta Anonymi auctoris est, Hiericunte , non procul Hierosolymis in doliiis quibusdam inventa anno VII. Antonini Caracallae , Christi vero CCXIX. Quincta anonymi pariter est , et dolio inclusa , Nicopoli apud Actium promontorium in Epiro , sub Alexandro Manimæae filio circa annum Christi CCXXX. reperta ; unde Hiericuntina illa , haec Nicopolitana dicta est.

X. Ex interpretationibus hisce Origenem τετραπλα , εξαπλα , οκταπλα concinnasse , Eusebius auctor est *Lib. VI. Hist. cap. XIII.* Nam primo quidem singulas paginas in quatuor columnas divisit , quarum singulae singulas graecas versiones continebant , atque haec volumina τετραπλα dixit. Deinde paginas in sex columnas distinxit , atque in prima hebraicum textum descripsit Hebraico sermone , in altera eundem textum Graecis litteris exaravit , in tertia Aquilae interpretationem posuit , in quarta versionem Symmachi ; in quincta Septuagintaviralem ; in sexta Theodotionis translationem ; atque ob sex columnas εξαπλα huiusmodi volumina adpellavit. His ubi duas

alias versiones fortuito inventas adiecisset ; Hiericuntinam , et Nicopolitanam , οκταπλα nuncupavit.

XI. Sed praeter hanc curam Origenes novam Marte suo versionem edidit anno P. M. CCXLV. nimirum Septuagintaviralem interpretationem ita emendavit , ut multa ex Theodotione addiderit , pleraque resecoverit. Et ea quidem quae suppleverat , asterisco indicavit , superflua vero obelo iugulavit. Quod non ideo ab eo factum , quasi illa desse , haec superesse arbitraretur , sed ut ostenderet , quid Judaei , quibuscum certandum erat , in Christianorum textu deficere , aut abundare dicerent , quemadmodum ex eius ad Julium Africanum epistola Hieronymus refert.

XII. Verum post Origenianam septuagintaviralis versionis emendationem duae aliae prodierunt , quarum alteram concinnavit S. Lucianus Presbyter Antiochenus , et Martyr , Diocletiani aetate anno Chisti p. m. tercentesimo , post Origenis obitum prope quinquagesimo. Alteram Hesychius Alexandrinus Episcopus , qui in decima persecutione martyr coronatus est , teste Eusebio *Lib. VIII. Hist.* De tribus hisce versionibus ita Hieronymus in Praefatione ad librum Paralipomenon : *Alexandria , et Aegyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat*

auctorem ; Constantinopolis usque Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat ; mediae inter has Provinciae Palaestinos codices legunt , quos ab Origene elaboratos Eusebius , et Pamphilus vulgarunt ; totusque orbis has inter trifaria varietate compugnat. Ex quo adparet , nullam fuisse Hieronymi aetate versionem Graecam per universam Ecclesiam in usu acceptam : sed inter tot editiones , quae circumferebantur , maxime celebres fuisse , et a diversis Ecclesiis probatas , Origenianam , Lucianaeam , et Hesychianam.

C A P U T VII.

*De Latinis Scripturarum
versionibus.*

I. **S**cripturarum tot sunt apud Latinos exemplaria quot codices , inquit Beatus Hieronymus (*Praefat. in Josue*) quum unusquisque pro arbitrio vel addiderit , vel subtraxerit , quod ei visum sit. Id quod Augustinus *Lib. II. de Doctr. Ch.* adprime testatur : *Vt enim* , ait , *cuique primis fidei temporibus in manus venit codex Graecus , et aliquantulum facultatis sibi met utriusque linguae habere videbatur , ausus est interpretari.* Nisi quod inter tot versiones una

communior erat , quae *Vetus vulgata* dicebatur , atque ceteris omnibus , Augustino teste , ob verborum tenacitatem , sententiarumque perspicuitatem praelata. Vnde et eius usus ad integros etiam ducentos annos post Hieronymianam versionem obtinuit , quemadmodum ex Gregorii Magni epistola ad Leandrum datur intelligere.

II. Quum autem tum in Septuagintaviralem versionem , tum et in latinas editiones , multa haud levis momenti vitia , partim ex librarium temeritate , ac oscitantia , partim quoque ex perversa semichristianorum , Judaeorumque apostatum expositione irrepsissent , novam ex Hebraico fonte expressam editionem Hieronymus , amicorum precibus sollicitatus curavit. Et novum quidem Testamentum ex Graeco emendavit , ut ipse profitetur *Epist. LXXXIX.* nec fortasse totum , sed Evangelia sola. Vetus autem Testamentum bis latio donavit , primo quidem ex Graeca senum versione , ut testatur *Lib. advers. Rufinum* ; deinde ex Hebraico fonte , quemadmodum constat ex postremo de viris illustribus libro , tum ex suis praefationibus in Libros Sanctos , potissimum in Esdram , ubi editam a se hanc versionem inquit , *ut exultantem Graeciam com-pesceret , quae iactabat latinos nil divinarum*

Scripturarum habere, quod ab ipsa non essent mutuati. Nec tamen libros omnes Judaicum in canonem recensitos vertit; constat enim libros Sapientiae, Ecclesiastici, Machabaeorum, Baruc, Epistolam Hieremiae, et additiones ad Danielem, et Esther praetermississe, siquidem Hebraice non extabant; quum ex adverso Judith, et Tobiam ex libris extra canonem latine reddidit.

III. Tametsi vero Hieronymiana versio a multis Episcopis, tamquam ad convellendam, aut saltem minuendam auctoritatem Septuagintaviralis versionis elaborata, improbaretur; sensim tamen tacito Ecclesiae consensu apud latinas Ecclesias post Gregorii Magni tempora late obtinuit. Obtinuit nimirum, quia demum oportuit praeter septuaginta Senum versionem, quae in multis sensum potius exprimebat, quam verba, aliam immediate ex Hebraico textu expressam de verbo ad verbum habere, quam Judaeis Christiano coetui insultantibus opponere possent; Quid quod post Christum natum, expletis iam prophetiis, multo luculentius reddita sunt, quae antea erant obscura.

IV. Vtrum autem Vulgata, qua modo utimur, ea sit, quam Hieronymus edidit, inter tot illustrium virorum discrepantes opi-

miones, omnino piget me miscere; nisi quod conciliationis amicus, ex Hieronymi interpretatione maximam partem esse arbitror, quemadmodum viris doctissimis visum est, Eugubino potissimum, Pico Mirandulano, et Bellarmino, ut ceteros taceam. Quidquid tamen sit, exploratissimum est, *Vulgatam* versionem nostram a Sancta Ecclesia Catholica probatam, et a Tridentinis Patribus *authenticam* habitam esse.

C A P U T VIII.

De Divina Scripturarum inspiratione.

I. **S**cripturam omnem divinitus esse inspiratam, clarius est quam quod ulla indigeat probatione. Hinc Apostolus (*epist. ad Timoth. III.*) *omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia.* Et Petrus in epistola prima: *Omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit, non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines.* Haec

qui sedulo attendat, nunquam sane de divina Scripturarum inspiratione dubitabit; quum et confiteantur magi, fateaturque omnis scientia saecularis litteraturae, praescientiam futurorum non esse hominum, sed Dei.

II. Nec porro in iis tantum quae fidei, et morum sanctitatem spectant, Scripturae universim divina constant auctoritate, sed singula earum verba, singula orationis commata divinitus sunt inspirata (12). Si enim nonnulla alicubi humano more commemorata esse fingamus, ecquis, ubi animum ea semel pervaserit suspicio, Scripturarum vim, auctoritatemque aut penitus interire, aut magna ex parte labefactari non viderit? Nul- lum enim Scripturae caput erit, de quo eadem institui non poterit controversia; et incerta semper, ac fluctuans legentium, et audientium erit fides, quum in incerto esset

(12) Nec verò rei huic varius Scripturarum stylus obesse videtur, quum Dei spiritus rationem quoque habuerit ingenii, et institutionis eorum, quos scribentes inspirabat. Decebat enim ut sublimiori stylo Isaias scriberet regia editus stirpe, quam Amos gregum pastor; et humiliter scriberet Joannes olim piscator, quam Lucas institutus liberarioribus disciplinis.

quid ex Deo, quid secundum hominem Sacri Scriptores protulerint.

III. Re enim vera si parumper concedamus, vel in leviculis quibusdam rebus, ad fidem non pertinentibus, potuisse Sacros Auctores Deo non inspirante scribere, in iisque fallere, et falli, iam qualem iacturam hinc non pateretur Scripturarum auctoritas? Jam hic dicet, tres unius Divinae substantiae praedicari Personas leviculum esse, nec ad salutem nostram pertinere; et res Sabellio, Ario, Macedonio bene cedet. Jam dicet alter duas in Christo operationes, voluntatesque e rebus esse non gravibus. Jam et Spiritus a Patre et Filio procedentis unicum esse principium, tamquam rem levem quidam contemnendum arbitrabitur. Quidque respondebimus Pelagio contendenti, hominem ope gratiae minime indigere ad bonum prosequendum? quid Iconomachis illicitum esse imaginum cultum delirantibus? Quid novatoribus, qui hinc sanctiora fidei dogmata evertere adnitentur? Nimirum leve, et humano prorsus effusum ingenio credent perversi homines illud Scripturarum verbum, breve illud comma, quo singula dogmata maxime fulciuntur, et roborantur.

CAPUT IX.

De Scripturarum sensibus.

I. **P**raeter Litteralem, seu historicum sensum, arcanum alterum sub litterae cortice delitescere, quem alii mysticum, alii spiritualem, alii figuratum, aut allegoricum appellant, non est dubitandum. Tametsi enim posteriori huic plerique haereticorum gravissimam intenderint litem, non est tamen cur in eo suadendo defatigemur, quum praeter Sanctorum Patrum, Ecclesiaeque consensum, nec non vetustissimam allegoricam interpretandi rationem a Philone, Essenis, Judacisque omnibus usurpatam, ipse Christus, et Apostoli non raro eam interpretandi viam tenuerint. Hinc Jonas in ventre ceti allegorice a Christo explicatur *Matth.* XII. et Serpentis a Mose exaltati figura *Joann.* III. Quem in modum Paullus in IV. *ad Gal.* allegoriam de duobus Abrahae filiis exponit, et in prima *ad Corinth.* X. illa veteris Instrumenti de nube, mari, esca, potu, non aliud esse, quam rerum futurarum figuras aperte pronunciat. Quid porro de Epistola ad Hebraeos dicam huius-

modi plenissima allegiarum? Profecto mysticum hunc si parumper tollas sensum, universam simul veteris Testamenti subvertes oeconomiam.

II. Hic autem, de quo loquimur, mysticus sensus triplex est: *allegoricus*, qui ad Christum: eiusque Ecclesiam, totamque Novi Foederis, per vetus adumbrati, oeconomiam refertur: quo modo Isaac propriis humeris ligna portans ad locum sacrificii, allegorice sumptus Christum adumbrabat crucem suam baiulaturum. *Moralis*, seu *tropologicus*, qui mores respicit, quemadmodum Deuteronomii verba illa, *non alligabis os bovi trituranti* tropologice accepta significant, dignum esse operarium mercede sua, ut explicat Apostolus in I. *ad Corinthios* IX. Ac postremo *anagogicus*, qui mentem excitat in eorum contemplationem, quae sursum sunt speranda, Vnde verba Psalmi XCIV. *quibus iuravi in ira mea si introibunt in requiem meam*, quae de terra promissionis ad litteram dicta sunt anagogice de vita aeterna interpretatur Apostolus ad *Hebr.* IV. Porro quatuor hosce sensus uno Jerusalem exemplo explanat Cassianus, quae praeter notissimam Judaeorum urbem litteraliter designatam, potest et Christi Ecclesiam sensu allegorico innuere, ani-

mam tropologico , caelestem vero Civitatem anagogico (13).

III. At sensus litteralis duplex esse potest, sive proprius , quem verba proprie accepta notant , sive metaphoricus , quum verba ex propria in alienam significationem transferuntur. Talis est sensus verborum *Matth. III. Cuius ventilabrum in manu sua: et permundabit aream suam , et congregabit triticum suum in horreum , paleas autem comburet igni inextinguibili: et alio loco alias oves habeo , quae non sunt ex hoc ovili.* In his enim sensus litteralis , a Spiritu Santo primario spectatus, non est ille, quem voculae proprie acceptae significant , sed longe alius ,isque tropicus, et figuratus. Nam in illo proborum , reproborumque discrimen designatur; in hoc alii homines praeter Judacos in Ecclesiam congregandi notantur. Quemadmodum vero ad metaphoricas intelligentias non est recurrendum , quoties nihil ex sensu gram-

(13) Ab his omnibus longe diversus est sensus, quem vocant *accomodatitium* (qui tamen ad litteralem potius , quam mysticum reducitur) qui etsi ad probandum minime sit idoneus , quippe a divino Scriptore minime intentus , non caret tamen utilitate ; eumque Ecclesiae usu in Sanctorum officii consecratum deprehendimus.

matico infertur incommodi; ita ex adverso, quotiescumque verborum proprietates absurdam adfert sententiam, quin figuratum sit loquendi genus, non est dubitandum (14).

IV. Vter autem horum sit praestantior sensus, haud ita facile dicam. Nisi quod rem ita componendam statuo. I. Sensus arcanos ut plurimum in veteri Testamento obtinere, quod universum non nisi Novi figura est, tametsi etiam in Novo quaedam rerum arcanarum figurae exhibeantur, ut lotio pedum ante Eucharistiam, Petri navicula iactata fluctibus, Christus ex Petri navicula docens, captura piscium non sine retis scissura, linteum plenum animantibus Petro oblatum, et alia non pauca. II. Si de uno eodemque Scripturae loco sit sermo, arcanam significationem esse litterali excellentiorem, quanto scilicet spiritus litterae, medulla cortici praestat, immo a Spiritu Sancto praecipue spectari, quum sensus litteralis ad my-

(14) In altero erravit Origenes, qui teste Hieronymo in *Epist. ad Pammach.* allegorice accepit, quae simpliciter erant accipienda. In altero errasse scimus Papiam, Irenaeum, Justinum, Tertullianum, Lactantium, aliosque, qui quae *Apocalypses* XX. dicuntur de nova Jerusalem, et de mille annis, quibus regnaturi sunt Sancti cum Christo, hic in terris implenda putarunt.

sticum ex Spiritus Sancti scopo referatur. Quo facit etiam, quod mysticae significantiae de rebus praestantioribus sunt, de Christo scilicet, de Ecclesia, de aeterna beatitudine, etc. quum contra littera plerumque rebus haereat caducis, et terrenis.

V. Tamen si universe litteralis sensus cum Spirituali comparetur, vincet ille non una de caussa. I. quia non tantum Novi Foederis libri fere omnes, verum et Veteris haud pauci non alium plerumque quam litteralem sensum, eumque divinissimum admittunt: ex quo sequitur litteralem intellectum ubique occurrere, arcanum non item. Quid quod arcana quaelibet significantia litterali, tamquam fundamento nititur. II. quod allego-riarum studium magnis Ecclesiae luminibus, non raro vitio versum sit; at litterae enucleandae sagacitas in nemine unquam reprehensa sit. III. litteralis intelligentia vim habet ineluctabilem ad probandum; quum contra illa altera incerta sit, et parum ad probandum idonea, nisi duces habeat aut Apostolos, a quibus nonnullas expositas habemus allegorias, aut traditionem.

VI. Vt autem Scripturarum sensus facillime noscatur, adprime Hebraicus Graecusque sermo haud ignoretur necesse est. Quum enim Spiritus Sanctus non alio quam Hebraico Grae-

coque ore Divinis Scriptoribus sua dictarit eloquia, nemo non videt, huiusmodi linguarum notitiam plus ad Scripturarum valere intelligentiam, quam mille commentarios. Eo fit ut his, qui fontibus neglectis, e versionum rivulis haurire satis habent, saepissime haereat aqua. Nam praeter peculiares loquendi modos, plurima in versionibus sive obscura, sive ambigua, in ipso fonte perspicua sunt; plurima quae aliena prorsus, et falsa sonant; primigenii textus ope patent quam quae luculentissime. Pauca adtingam, ut ad primitivos fontes adeundos sitis accendatur.

I. Peculiares sunt nominum quorundam Hebraicorum notiones praeter primariam, quam praesferunt significationem. Huc refer *Vasa* pro quolibet instrumento, ut *vasa belli* pro armis, *vasa mortis*, quibus mors inferitur, *vasa psalmi* musica instrumenta. *Commune* pro immundo; *pedes* pro ea parte quae infra alvum est, unde quid sit *tegere pedes* probe datur intelligere. *Gladius* pro quacunque re vel pungat, vel cruciet. *Adeps* et *medulla* pro praestantiori alicuius rei parte. *Calix* pro sorte; *funiculus* pro portione, quae alicui assignatur. *Testamentum* pro pacto. *Graeci* pro gentilibus; *generatio* pro historia; *exitus*, et *introitus* pro quibuslibet vitae acti-

bus ; *cornu* pro potentia , et exinde pro regno ; *manus* pro latere ; *onus* pro infausto vaticinio ; *portae* pro forensibus iudiciis ; *anima* pro vita , pro desiderio , pro cadavere ; et alia hoc genus plurima , quae non latine , sed hebraice eas quas dixi significantias habent.

II. *Filius* et *filia* pro diversis adiunctis miros habent usus: *Filius mortis* est morte dignus ; sic sagittas *filias pharetrae* adpellant ; Tyrum insulam *filiam maris* ; campos pingues *filios olei* ; unde et illae locutiones filii superbiae , filii iniquitatis , filii sponsi , filii gehennae , filii regni , filii pacis , filii prophetarum.

III. Voces *in aeternum* , *in saeculum* , *in generationem* , ut etiam *non ultra* , *non amplius* non absolutam aeternitatem , sed longum tempus saepe notant ; quo modo I. *Paralip.* XV. 2. *Deus elegisse levitas dicitur ad ministrandum sibi usque in aeternum* ; et *Mach.* II. 54. Phinees accepit testamentum Sacerdotis aeterni.

IV. Rebus horrendis adiungitur nomen mortis , ut *umbra mortis*.

V. Ad rem praestantissimam significandam , nomen additur Dei : ut *montes Dei* , et *cedri Dei* , idest proceritate praestantes.

VI. Peccati vox nunc culpam notat , nunc poenam , nunc concupiscentiam , nunc ho-

stiam pro peccato , nunc legalem immunditiam ex menstruo , lepra , aut contactu mortui contractam.

VII. Vrbes passim *filiae* adpellantur , et quidem *virgines* , ut *Virgo filia Sion* ; aut *meretrices* ; quum in idololatriam se convertissent:

VIII. Pro nominibus propriis saepe eorundem interpretationem in Bibliis Latinis legimus : unde *Gen. XXIV.* sunt illa puteorum nomina , calumniae , inimicitiae , latitudinis , abundantiae pro Esec , Sitna , Rechoboth , Sabea. Sic apud Sophoniam *ponet speciosam* , idest *ponet Niniven*. Adhaec *Prov. XXX. Verba congregantis filii vomentis* , idest verba Agar filii Jake. *Factus est in pace locus eius* , idest in Jerusalem. Apud Isaiam : *mitte agnum de petra deserti* , idest de Sola.

IX. Vnum alteri praefertur per negandi adverbia ; ut *misericordiam volo , non sacrificium* , hoc est *magis quam sacrificium*. *Non enim vos estis qui loquimini , sed Spiritus Patris vestri* , hoc est : *non tam vos , quam spiritus loquitur*. Tantumdem est , ubi contraria verba usurpantur , ut *Jacob dilexi , Esau autem odio habui* , idest : *Jacobum Esauo antetuli*.

X. Respondendi verbum passim de eo usurpatur , qui prius adloquitur , fortasse quod

in voces erumpens sermo , concepto interius sermoni respondeat ; qua de caussa non sententias tantum , sed et libros a copula *Et* ordiuntur Hebraei , quippe organicam locutionem cum mentali connectere solent.

XI. Coniunctio *si* , quum iureiurando servit , contrarium eius quod sequitur , notat : *Si introibunt in requiem meam* , idest *non introibunt*. Hae autem iurandi formulae ellipticae sunt , et per aposiopesin conceptae ; reticetur enim mali imprecatio , quod iurans , si fallat , sibi imprecatur ; eaque ellipsis est honestatis plenissima , secus quam Latini per impudentiam solent , imprecationem exprimentes : *dispeream , ne vivam , si* , cet.

XII. Est et alia iurandi formula , quum Deus iurat per vitam suam , ut *vivo ego dicit Dominus si* , cet. aut quum homo iurat : *vivit Dominus si*. At Jesus Christus novum adoptavit iurisiurandi genus per simplex , vel geminatum *Amen*. Tametsi enim in veteri Testamento in fine sententiarum usurpatum *amen* optantis erat , Christus tamen , qui *Apocal. III. 14. AMEN* , hoc est *summa veritas* adpellatur , initio sententiarum id suo iure adhibuit , nec dictis suis praefigit propheticum illud : *sic dicit Dominus* , sed fide pro se facta , loquitur , quippe veritatis Deus. Nec geminum *amen* energia caret ; notat enim et veritatem dictam , et veri-

tatem loquentem, quasi dicat *Αμην ο Αμην λεγει υμιν*: *in veritate ego qui sum veritas dico vobis.*

Id postremo, antequam hinc abeo, addam, Scripturarum sensus inde saepius ignorari, quod Judaeorum mores, consuetudines, vitae cultus, instituta, Reipublicae ratio, epochae, quibus Judaeorum gesta consignantur, et Terrae Sanctae topographia ignorentur. Vt enim Romanarum, Atticarumque originum ieiunus frustra in latinis, graecisque Scriptoribus evolvendis tempus teret, sic qui in Judaicis antiquitatibus est plane hospes, in Scripturarum intelligentia misere haerebit.

C A P V T X.

De Supremo Iudice controversiarum Fidei.

I. **Q**Uemadmodum in nulla optime constituta Republica obtinet, ut ipsae per se leges sui interpretes sedeant, vel privato civium ingenio in litibus expediendis interpretandae permittantur, ne magna inde rerum perturbatio in civili societate contingeret; ita in Ecclesia a Deo sapientissime constituta, et temperata, neque ipsae per se Scripturae sui sententiam proferant oportet, neque privato cuiusque iudicio earum permittatur interpretatio.

II. At vero pertimescentes Lutherani, Calvinianique, ne eorum sectis conclamata foret ruina, si supremam in rebus fidei diiudicandis auctoritatem apud Ecclesiam collocaverimus, conatus omnes eo converterunt, ut in causa Religionis nonnisi uni Scripturarum iudicio standum esse contenderent. Hinc illa Lutheri vox (*Lib. de serv. arbitr.*) Scripturas nulla umquam indigere interpretatione, facillimasque esse per se ipsas. Hinc illa eiusdem adsertio, Scripturas per se apertas, nonnisi superbis et infidelibus obscuras fieri ob eorum coecitatem, et pravum animum. Hinc Brentii iactantia Scripturarum obscuritatem ex linguarum ignorantia repetentis.

III. Sed utinam ipsas Scripturas aliquando attenderent perversi homines! haberent utique unde suam emendare pervicaciam. Et quidem David nec superbus, nec infidelis, nec Hebraicae linguae ignarus, difficultatem tamen in Scripturis persentiscens, lucem exposcit a Domino *Ps. CXVIII. Da mihi intellectum, et discam mandata tua, faciem tuam illumina super servum tuum, et doce me iustificationes tuas.* Profecto etiam nec infideles, nec superbi erant Discipuli, et tamen nonnisi Christo interpretante Scripturas intelligebant, unde a Christo petunt *Matth. XIII. 36. edisere nobis parabolam zizaniorum agri.* Item

pius et humilis erat Eunuchus Candacis Reginae Aethiopum, et Scripturas diligenter lectitabat; tamen a Philippo rogatus, an Isaiæ, quem legebat, sensum adsequeretur *Act. VIII. 31. quomodo possum*, inquit, *si non aliquis ostenderit mihi* (15)? Praeterea de Pauli epistolis ita Petrus *Epist. II. 3. 16. in quibus sunt quaedam difficilia intellectu; quae indocti, et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem*. Id quod Patres in doctrina Scripturarum subactissimi adprime confirmant. Origenes *Hom. II. in Exod.* Hieronymus *Praef. in Ep. ad Ephes.* Augustinus *Epist. CXIX. ad Januar. cap. XXI.* et Ambrosius *Ep. XLIV. ad Constantium*:

IV. Nec vero hilum proficient adversarii, Deuteronomii verba urgentes *XXX. 21. Mandatum hoc quod ego praecipio tibi hodie non supra te est, neque procul positum*. Nam ibi

(15) De hoc Eunuchō ita Hieronymus *Ep. LIII. ad Paulinum*: « Ego, ut de me interim loquar, nec sanctior sum hoc Eunuchō, nec studiosior; qui tantus amator legis, divinaeque scientiae fuit, ut etiam in vehiculo Sacras Litteras legeret; et tamen, quum librum teneret, et verba Domini cogitatione conciperet, ignorabat eum, quem in libro nesciens venerabatur. Venit Philippus, ostendit ei Jesum, qui clausus latebat in littera. O mira doctoris virtus! eadem hora credit Eunuchus, baptizatur, et sanctus est. »

non nisi de praeceptis populo Israelitico datis sermo est, quae neque supra vires hominum sunt, neque admodum ardua, sive ut cognoscantur, sive ut adimpleantur, adiuvente gratia Dei per fidem in Christum venturum: Vrgent et Paullum scribentem *ad Rom. X. 8. Quid dicit Scriptura? prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo: hoc est verbum fidei, quod praedicamus; sed non intelligunt perversi, Paullum eo loco non nisi de fide in Jesum Christum loqui, quae salutis nostrae radix est, et fundamentum, quam fidem facilem esse inquit propter eiusdem miracula; subdit enim: quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.*

V. Porro autem si historicas plerumque narrationes, praecepta Decalogi, veritatesque illas, quae ipso naturae lumine constant, excipias; facile multa in Scripturis operosa occurrent (16), sive quae dignitate sua captum humanum longe exsuperant, (ut sunt mysteria de Divina Trinitate, de Incarnatione Verbi, de aeterna praedestinatione, de Angelorum natura, de Sacramentis, quae non

(16) Quod omnè provisum divinitus est ad edomandam labore superbiam, et intellectum a fastidio revocandum, cui facile investigata plerumque vilescunt.

sine gravissimo erroris periculo investigantur) sive quae implexo enunciantur sermone, cuiusmodi plerumque in Scripturis patent exempla ; veluti quum *Ps. I.* dicitur : *non resurgent impii in iudicio*, quod prima fronte contrarium videtur Apostoli effato *I. ad Cor. XIII.* *omnes quidem resurgemus*. Sic *Prov. 26.* *ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis* : at mox ibidem : *responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur*. Ita Apostolus *ad Rom II.* *Circumcisio quidem prodest, si legem observes* ; at *ad Galat. V.* *si circumcidamini Christus vobis nihil proderit*. Qui sane, et innumeri alii Scripturarum textus adhuc in obscuritate iacerent, nisi ad eos explanandos operam quamplurimam Ecclesiastici viri collocassent.

VI. At nihil aequè miror, quam quod huiusmodi veritas non aliunde melius adstrui possit, quam ex ipsis hostibus ; quibuscum certamus (17). Sane Lutherus *Praef. in Ps. No-*

(17) Quorsum enim, si aperta essent omnia, ut Lutherani contendunt, tot in ipsas Scripturas commentarii ? quorsum tot inter ipsos protestantes controversiae, dissidia, et tanta opinionum, errorumque in interpretandis Scripturis diversitas ? Sane videtur Deus sensibili funestoque experimento nebulones hosce confundere voluisse, permittens, ut in ipsis dogmatibus, quae clarissime in Scri-

lim, inquit, ab ullo id de me praesumi quod nullus adhuc praestare potuit Sanctissimorum, ac doctissimorum virorum, idest psalterium in omnibus suo legitimo sensu intelligere, et docere. Sat est aliquos, et eosdem ex parte intellexisse: multa sibi reservavit Christus, quo nos semper discipulos habeat (18) Nec praeteream doctissimi Lutherani Augusti Ernesti confessionem (*Lib. de difficult. N. T. recte interpretandi*): *Ex quo ceperim aliquid in interpretando videre, in dies mihi difficiliorem visam esse legitimam et iustam interpretationem N. T. multoque difficiliorem, atque impeditiorem, quam Hæmeri, Thucydidis, Polybii, aliorumque Graecorum Scriptorum. Neque in eo me falli arbitror. Nihil tamen de Brentio dicam, ex cuius Confessione Wittembergica cap. II. plura hanc in rem resummi possunt argumenta; Quid igitur testimoniis adhuc egemus, quum ipsos adversarios nostros nobiscum convenientes habemus?*

VII. Quum igitur Scripturae dilucide ubique non fluant, atque in varios et contrarios sensus distrahi facile possint, (quod omnibus Ecturis doceri iactant, perpetuis dissidiis inter se luctarentur.

(18) Confer et memorabile Lutheri dictum *Lib. I. contr. Zuinglium*, quo nihil fortasse praeclarior.

clesiae sacculis commune fuit haeticis) nemo unus non videt, eas suimet interpretes, iudicesque in fidei controversiis sedere non posse. *Ergo non ad Scripturas* (praeclare inquit Tertullianus *Lib. de praescript. cap. XIX.*) *non ad Scripturas provocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut par incertae.* Nimirum quemadmodum in Republica civili praeter leges opus est supremo iudice, ita in Religione praeter Scripturas Sacras aliquis supremus esse Iudex debet, qui decernat, quae notio, quique explicatus iisdem conveniat, quique repugnet.

VIII. Jam vero, secluis Scripturis, si parumper Calvino *Lib. IV. Inst. cap. IX.* demus, privatam cuiusque hominis spiritum (19), supremum Scripturarum interpretem esse, ac fidei controversiarum iudicem, quo tandem fidei unitas, ac firmitas evadet? Profecto tunc cuique liceret dogmata effingere; tunc in factiones abiret Religio, atque latissima proinde panderetur via ad Religionis cuiuslibet indifferentiam, atque tollerantiam. Quid quod nullus hinc esset controversiis finis, nullus hae-

(19) Spiritum erroris atque vertiginis verius dixeris, aut ut Grotius adpellat, *spiritum Ecclesiae divisorem.*

reticorum conversionibus aditus, et lites ipsae immortales fierent. Scimus nonnisi ex isto privato Spiritu scissos haereticos omnes; scimus eorum singulos Scripturam in suorum deliriorum confirmationem adscivisse. Porro quum veritas una sit, fieri certe non potest, ut omnes illae sibi repugnantes sententiae sint verae; proinde necesse est, spiritum privatum saltem aliquando falli. Quis autem litem diiudicabit? quibus armis alter alterum ad sua castra revocabit? Spiritui privato unius opponet alter spiritum suum privatum, et quisque ab altero sciscitabitur quemadmodum a Michaea sciscitabatur Pseudo propheta Sedecias (II. Paral. XIII. 23.) *per quam viam transivit Spiritus Domini a me, ut loqueretur tibi?*

IX. An vero non insanire putabimus Brentium usque adeo delirantem (in *Confes. Wittenbergensi*) ut saecularem principem controversiarum fidei iudicem obtendat? Profecto Princeps tametsi Christianae religionis vindex praesidia omnia in Ecclesiae Catholicae columnen conferre debeat, non ex eorum tamen numero est, quibus a Christo Domino dictum est: *Matth. XXVIII. 19. Euntes docete omnes gentes.* Et *Joan. XX. 23. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis cet.* Et *Act XX. 28. Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos*

regere Ecclesiam Dei. Vnde patet Sacerdotii, et Imperii fines longe discretos. Id quod ipsi Imperatores Constantinus, Theodosius iunior, Basilii calculo suo confirmarunt, cuius postremi verba in VIII. Synodo utinam Brentius attendisset: *Ecclesiae integritatem investigare, et quaerere Patriarcharum, Pontificum, et Sacerdotum est, qui regiminis officium sequuti sunt, qui sanctificandi, qui ligandi, et absolvendi potestatem habent, qui Ecclesiasticas, et Coelestes adepti sunt claves; non nostrum qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel alligamento solvi egemus.*

X. Ergo fatendum est unam Ecclesiam Scripturarum interpretem, supremumque fidei controversiarum iudicem esse. Nisi enim credimus perinde Scripturam Ecclesiae, ut Ptolemaeo, Aegyptiisque concessam: vel certe ut nunc est concessa Judaeis, quos scriniarios Ecclesiae Christi Augustinus non ineleganter adpellavit, profecto adservandum est, unam Ecclesiam ius habere sensum Dei a sensu hominum discernendi. Scimus enim utrumque depositum Ecclesiae commissum, ut utrumque etiam perpetua fide conservet, et Scripturam, et Scripturae intelligentiam. Quo facit Isaiae illud LIX. *Spiritus meus qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo; non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui amodo, et usque in sempiternum.* Am-

bas nimirum res Ecclesia Christi custodit, custodietque semper, et verbum, et spiritum verbi.

XI. Sed vero plura hęc prudens mitto, in primis antiquissimum Hebraeorum morem *Deuter. LXXVII.* apud quos non nisi Sacerdotibus litium huiusmodi dirimendarum potestas commissa erat, sic ut ipsa de adventu Messiae controversia ad Concilium Sacerdotum delata esset, teste *Matth. II.* ubi Herodes *congregans omnes principes sacerdotum, et scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur.* Nam in Novo Testamento uberiora patent argumenta. Id insinuat Christus Dominus Petrum adloquens *Matth. XVI. tibi dabo claves Regni caelorum cet.* quibus Petro, eiusque successoribus dispensandarum legum, peccatorum relaxandorum, controversiarumque fidei explicandarum facta est potestas. Id insinuant Apostoli vel in ipsis Ecclesiae primordiis, quum controversia de legalibus oborta, an gentes recens ad fidem conversas circumcidere oporteret, non sola Scriptura, non privato spiritu, sed Concilio inito decreverint *Act. XV. Visum est Spiritui Sancto, et nobis nihil ultra imponere oneris vobis, quam haec necessaria, ut abstineatis ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato.* Id insinuat Paullus Apostolus *Ep. ad Gal. 2.* qui Evangelium praedicaturus Hierosolymam ascendit, quo Pe-

trum, et Jacobum, et Joannem conveniret, illudque cum iis conferret. Vnde Tertulliani, Hieronymi, et Augustini notissima illa vox est : *Ecclesiam Paulo credituram non fuisse, nisi eius Evangelium a Petro fuisset confirmatum.*

XII. Id demum insinuat constans Ecclesiae usus, quo Haereticos Scripturarum testimonia in suae pravitate confirmationem adducentes, per episcoporum concilia repressit. Vnde Sancta Tridentina Synodus (*Sess. VI. de usu S. Libr.*) *ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo, suae prudentiae innixus, in rebus fidèi, et morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, et tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, et interpretatione Scripturarum Sanctarum aut etiam contra unanimum consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat.* Igitur non ad solas Scripturas, quibus divino consilio multa offusa caligo, ut nostrae infirmitatis argueremur; non ad spiritum privatum, qui Religionis subversor est; non ad principes saeculi, quibus alia facta potestas, sed ad Ecclesiae iudicium, quae est columna et fundamentum veritatis, penes quam legitimi Scripturarum sensus est arbitrium, confugiamus.

DISSERTATIO II.

DE TRADITIONE

QUUM Haereticorum rabies miserandum exitium in Christi Ecclesiam minitaretur, vel tum eam facile subacturos sibi suadebant, quum vel armorum vim praeripuissent, vel saltem eorum aciem refregissent, quibus illa tutam se fore maxime sperabat. Hinc Scripturas primum adgressi sunt, et quas numquam evertere posse animadvertabant, privato spiritui subiecerunt, ut extenuatae adeo, vel nulli omnino usui futurae essent, vel cuicumque statuendo delirio forent idoneae. Depressis ita Scripturis, e vestigio in Divinas Apostolicasque traditiones facto agmine incurrerunt, easque, vel in ipsis imis radicibus attentarunt, unis Scripturis fidei controversias omnes componendas esse dictitantes. Eccum igitur illud

ipsum Arii , Nestorii , Euthychii bellum , iam-
 dudum devictis ducibus per Sanctos Ecclesiae
 Patres confectam , nunc denuo per Lutherum,
 et Calvinum , aliosque qui ante duo saecula
 luctuoso schismate ab Ecclesia desciverunt ,
 non dispari impudentia reintegratum. Cum his
 modo nobis res est , non quod tantum tribuen-
 dum huic hominum generi ducimus , qui clausis
 oculis more Andabatarum pugnant , qui loco-
 rum omnium Theologorum instar unam prae-
 seferunt , eamque perpetuam adseverandi auda-
 ciam , cum quibus certe vana , et futilis omnis
 nostra erit disputatio , sed ut videant Catho-
 lici ; nullum esse tam certum , ac firmum ,
 nullum Sacris Litteris exponendis tam neces-
 sarium , atque ingentibus haereticorum cona-
 tibus reprimendis tam idoneum locum , quam
 Sancta Traditio.

C A P U T I

Quid sit Traditio , et in quot capita dividatur.

I. **T** Ametsi traditionis nomine doctrina om-
 nis veniat , cuiuscumque posteritati commenda-
 ta , huc tamen illa significatur , quae a Chri-

sto eiusque discipulis vivae tantum vocis oraculo communicata est, et quasi per manus ad nos usque transmissa; nusquam vero in Sacris Litteris expressa.

II. Traditiones autem huiusmodi, prout vel Christum Dominum, vel Apostolos habent auctores, Divinae passim dicuntur, et Apostolicae. Divinas traditiones a Christo Salvatore acceperunt Apostoli, ut matrimonium, confirmationem, extremam unctionem esse novae legis Sacramenta, quae ipse Christus instituit. Atque has quum per Apostolorum manus, qui seorsim a Domino edocti fuerunt, Ecclesia acceperit, non raro Apostolicas appellatas invenimus. Nisi quod discriminis ergo traditiones *Apostolicae* illae potissimum intelligantur, quae ab Apostolis adprime dimanant, veluti librorum novi foederis traditio, qui diu post Christi abitionem conscripti sunt, itemque quadragesimae ieiunium, quod licet Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus ad Christum auctorem referre videantur, revera tamen Apostolicum fuit institutum (1),

(1) Christo enim assignatur, vel quod ad Christi ieiunantis exemplum ab Apostolis institutum est, vel quia Apostolica praecepta Christi esse censentur, qui per Apostolos Ecclesiae loquebatur.

Quae ex adverso Divinae dici non raro consueverunt, quod non nisi Divino suggerente Spiritu sint ab Apostolis editae (2).

III. Praeter has porro sunt et Ecclesiasticae traditiones, sive antiqua quaedam instituta, quae tacito Christiani populi consensu vim legum obtinuerunt, cuiusmodi est abstinentia a carne statis diebus. Sed nullus hic de postremis hisce sermo, nam tota Catholicos inter, et Lutherum, Calvinum,

(1) Nec saltem hic ceteras subiicere praeteream traditionum divisiones. Dispersi enim primo solent in *perpetuas*, quae tamdiu stabunt, quamdiu militans Christi sedebit Ecclesia, utpote nullius possunt auctoritate convelli; et *temporarias*, quae ad certum dumtaxat tempus sunt institutae, qualis fuit legalium observatio usque ad sollemnem Evangelii praedicationem. II. dividuntur in traditiones fidei, morum, et disciplinae. Ad fidem adinet traditio de perpetua B. Mariae virginitate; ad mores spectat signum Crucis in fronte formandum; ad disciplinam vero tria immersio in Sancto Baptismo. Demum vero et alia obtinet divisio in traditiones universales, et singulares, sive quarumdam Ecclesiarum proprias; illius generis est Paschalis, et Pentecostes observatio, huius vero ieiunium Sabbati, quod olim a Petro traditum in Romana Ecclesia obtinuit.

eorumque asseclas controversia, nonnisi circa Divinas, et Apostolicas traditiones versatur. Illi enim contendunt, totam, quanta quanta est, Divinam revelationem in Scripturis contineri, adeoque opus non esse traditionibus; Nos vero Doctrinam, quam ore suo Christus promulgavit, deinde per Apostolos praedicari iussit, tum in Scripturis inesse asserimus, tum in traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt.

CAPUT II.

*Traditionis auctoritas adversus
Heterodoxos invictissimis ar-
gumentis vindicatur.*

I. **V**etustissimi primorum saeculorum Patres, qui ante Mosen in veri Dei cultu se maximopere posteris commendarunt, haud quidem vel membranis vel tabulis inscripta, sed in animis, maiorum instituto edoctis, Sacramenta legis impressa servarunt; sic ut

per multam aetatem , citra ullam scriptam legem unius Dei fides ac religio longe obtinuerit. Quum autem in plenitudine temporis Christus advenerit , non nisi viva voce novae legis dogmata tradidit ; immo Apostolos per universum orbem illam publicatores mittens : *Euntes praedicate* , inquit , *Evangelium omni Creaturae*.

II. Hinc Apostoli quod a Christo acceperunt , voce praedicarunt , nec nisi pro re nata litteris Evangelia dein (3) tradiderunt , quemadmodum Irenaeus , Eusebius , Chrysostomus , Theophylactus , Hieronymus . (4) et gravissimi quique Ecclesiastici Scriptores testantur. Sed quid externis testimoniis indigemus , quum ipse Lucas Evangelii sui initio se ea scripturum profiteatur , quae ab illis qui ea viderant , et ministri fuerunt ser-

(3) Prioribus saltem octo annis post ascensionem Domini , ut Eusebius Caesariensis in *Chronic.* vel etiam quindecim , ut sentit Nicephorus *Hist. Eccl. Lib. II. cap. XLV.* antequam scilicet Matthaeus primus omnium Evangelium scriberet , iam tum doctrina Evangelica pervulgata erat.

(4) Irenaeus *Lib. III. adv. Valentinum.* Eusebius *Hist. Eccl. Lib. III. cap. XXIV.* Chrysostomus *Hom. I. in Matth.* Theophylact. *Comment. in Matth.* Hieronym. in *Catal. Scriptor. Eccl.*

monis, tradita acceperat. Constat igitur prius traditum ac pervulgatum Evangelium, quam Scripturas; constat Christianam Religionem, tum et Ecclesiam non Scripturis primum, sed traditione stetisse; constat demum fidei doctrinam in ipsis Ecclesiae primordiis non a Scripturis auctoritatem accepisse, sed Scripturas quidem a traditione.

III. Quid quod vel tum deinde quum verbum Dei litteris per Apostolos consignatum est, traditiones maxime obtinuerunt. Nam non omnia, quae Christus fecit, et docuit, in Evangeliiis scripta esse, aperte ipsi Evangeliorum Scriptores testantur, quorum instar sit Joannes, qui *Cap. ult. Sunt, inquit et alia multa, quae fecit Jesus, quae si scribantur per singula, non ipsum arbitror mundum capere posse.* Adprime vero multa post resurrectionem Apostolis insinuasse Dominum scimus, quum per dies quadraginta adparens eis loquebatur de Regno Dei; quae profecto Ecclesiis tradidisse Apostolos oportuit.

IV. Accedit quod Christiana dogmata pleraque in Sacris Litteris nusquam expressa videmus. Nam perpetuam, et constantem Beatæ MARIAE Virginitatem, Dominicæ celebrationem loco Sabbati, licitum sanguinis et suffocati usum, baptismi virtutem pueris, tum

ante rationis usum , tum per solam aquae infusionem conlati , in Scripturis incassum quaeres. Quum autem de his conveniant nobiscum adversarii , dicant quaeso unde potius , nisi ex traditione illa profluxerint ? Nihil porro dicam de Sanctorum invocatione , de imaginum cultu , de corpore , et sanguine Sacerdotibus conficiendo ac sumendo , de non iterandis Sacramentis Confirmationis ; et Ordinis , et de aliis hoc genus plurimis , quae Ecclesia Catholica firmiter adeo tenet , ac si Sacris Litteris forent expresse inscripta.

V. Nimirum hinc ambigendum nullatenus videtur , Apostolos Evangelii doctrinam partim scripto , partim etiam verbo tradidisse. Id quod disertissime testantur Graeci Latinique Patres omnes , Dionysius , Clemens Alexandrinus , Origenes , Papias , Ignatius , Irenaeus , Tertullianus , Cyprianus , Epiphanius , Hieronymus , Augustinus , Damascenus , Basilius (5) ; sic ut quod uno consensu tot tantique viri testati sunt , non humanum , sed divinum sit.

(5) Dionysius *Lib. de Eccl. Hierarch. cap. I.* Clemens Alex. *Lib. de Pasch. ap. Eusebium Lib. VI. Hist. Eccl.* Et in *I. Stromat.* Origenes *Hom. V. in Numer.* Papias ap. Eusebium *Lib. III. Hist. Eccl.* Ignatius ap. eund. *ibid* Irenaeus *Lib. III. cap. III.* Tertullian.

VI. Quod si tamen tot clarissimis testibus haereticorum animi non moventur, vel saltem Divinis testimoniis moveantur. *State* (inquit Páullus *ad Thessal. II.*) *et tenete traditiones, quas accepistis, sive per epistolas, sive per sermonem.* Et rursum *I. ad Cor. II. Laudo autem vos Fratres, quod sicut tradidi vobis, praecepta mea tenetis.* Et mox eodem Capite: *Ego autem accepi a Domino, quod et tradidi vobis; et paucis intertextis: Cetera quum venero disponam.* Ac Joannes in *Epistola II. Plura, inquit, habens vobis scribere, nolui per chartam, et atramentum: spero enim me futurum apud vos, et ore ad os loqui.* Quid quod Andreas, Thomas, Bartholomaeus, Philippus, nonne sine Scripturis viva tantum voce Ecclesias sibi destinatas et fundarunt, in fide, et in religione continuerunt? Sane quiescant tandem adversarii, desinant tandem insanire, ubi Scripturae aperte loquuntur: *Est traditio, cum Chrysostomo inquam, nihil amplius quaerant.*

Lib. de Corona milit Cyprian. de ablut. pedum.
Epiphan. de Haeres. passim. Hieronym. advers.
Luciferianos. Augustinus Lib. II. de Bapt. contr.
Donatist. Dawascenus Lib. IV. cap. XIII. Basilius
Lib. de Sp. S. cap. XXVIII.

VII. Porro ex his, quae huc usque libavimus constat id quod maxime inficiantur adversarii, ex Divinis Apostolicisque traditionibus validissima posse argumenta promi ad fidei dogmata evincenda. Id quod Sancti Patres Apostolicis vestigiis insistentes diserte insinuarunt (6). Immo quum traditiones non

(6) Tametsi longum esset Patrum omnium Graecae Latinaeque Ecclesiae huc testimonia advocare; quum tamen quo maior theologico huic loco vis ab haereticis infertur, eo nobis magis laborandum sit, ut is quam diligentissime et explicetur, et muniat; selecta saltem nonnulla, quae opportuniora videntur, subiiciamus. Et sane sufficere deberet S. Ignatius Martyr, qui Petro Apostolo post S. Evodium in Cathedra Antiochena successit; qui teste Eusebio *Hist. Eccl. Lib. III.* fideles hortabatur, ut Apostolorum traditionibus tenacius adhaerent, *quas ad certiore[m] posteritatis notitiam testimonio suo confirmatas scriptis mandare necessarium dixit.* Sed accedit Irenaeus *Lib. III. cap. IV.* qui ubi multa de traditionibus edisseruisset, subdit: *Quid autem si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias?* Et Tertullianus *Lib. de Praescr. Haeretic.* probe inculcat *non esse ad Scripturas provocandum, nec in iis constituendum certamen, sed quaerendum potius quae-*

scriptas Polycarpus , Tertullianus , Irenaeus
 Marcioni ac Valentino ; Epiphanius Melchi-

nam Ecclesiae sint ab Apostolis fundatae , vel Apostolorum soboles , et ab illis desumendam *Veritatem Scripturarum* , et *expositionum* , et *omnium traditionum Christianarum*. Origènes vero *Comment. in Matth. Illis* , haereticis , *credere non debemus* , nec *exire a prima* , et *Ecclesiasticâ traditione* , nec *aliter credere* , nisi *quemadmodum per successionem Ecclesiae Dei tradiderunt nobis*. S. Basilius *Lib. de Sp. S. cap. XXVII. Dogmata* , inquit , *quae in Ecclesia servantur* , ac *praedicantur* , *partim conscripta doctrina habemus* , *partim ex traditione Apostolorum* , *quae utraque eandem ad pietatem vim habent*. Et Macedonianis obiicientibus Spiritus S. divinitatem in Scripturis non inveniri , *si nihil* , respondet , *aliud est receptum absque scripturis* , *ne hoc quidem recipiatur*. *Sin plurima arcana citra scriptum recepta sunt nobis* , *cum aliis pluribus et haec recipiamus*. *Arbitror autem Apostolicum esse* , *etiam non scriptis traditionibus inhaerere*. Hieronymus vero , quanti traditiones fecerit , passim ex eius operibus liquet. *Exigis* (*ita quidem in Dial. adv. Luciferian.*) *ubi scriptum sit ? In actibus Apostolorum*. *Etiamsi Scripturae auctoritas non subesset* , *totius orbis in hanc partem consensus instar praeccepti obtineret*. *Nam et multa alia* , *quae per traditionem in Ecclesiis observantur* , *auctoritatem sibi scriptae legis usurparant*. Augustinus demum cum

sedechianis , Apostolicis , Actianis ; Hieronymus Vigilantio ; Augustinus Donatistis , atque Patres quotquot adversariis Catholicae fidei

alibi luculenter , tum pressius *Lib. V. de Bapt. XXIII. Sunt multa quae universa tenet Ecclesia , et ob hoc ab Apostolis bene praecepta creduntur , quamquam scripta non reperiantur.* Quod autem ad S. Cyprianum pertinet , in cuius auctoritate plurimum adversarii exsultant , quippe *Epist. LXXIV. ad Pompeium* nullam doctrinam , nullam traditionem accipere videtur , nisi diserte aut in Evangeliiis , aut in Actibus Apostolorum , aut in eorum Epistolis habeatur ; ibi S. Martyr nonnisi solam illam oppugnabat traditionem , quam Stephanus R. Pontifex ei opponebat de non rebaptizandis haereticis , quam Scripturis contrariam putabat ; in quo tamen humanae fragilitatis nobis reliquit exemplum. Nullatenus vero traditionum vim refringere voluit , ad quas saepissime refugit , ut *Lib. I. Ep. X.* ubi de necessitate unctionis in Sacramento Confirmationis , quae ex una constat traditione ; et in *Epist. V. ad Caecilium* , qua refellit qui solam aquam excluso vino in calice offerebant , totusque in eo est ut ostendat , ex traditione utrumque miscendum esse. Ita demum et in *Epist. LXXII. ad Jubaian.* in qua non Evangelicam auctoritatem tantum , sed et Apostolicam traditionem adtendendam inculcat.

fidenter obiecerint, earumque vi, perinde ac si fuissent scriptae, haereses sui quisque temporis profligaverint; profecto non minori efficacia per huiusmodi traditiones nos haereticas pravitates, quae suscitari adhuc possunt, invicte debellaturos confidimus. Absurdissimum quippe fuerit unum Lutherum, aut Calvinum in Ecclesiae angulo obloquentem audire; universos autem maiores nostros usque ab Apostolis contemnere.

VIII. Hinc Concilia non Scripturas tantum, sed adprime veterem constantemque Ecclesiae traditionem perpetuo consuluisse scimus. Constat Nicaenam Synodum ad Arianam haeresim praefocandam voce *ομολογουσας* usam esse, nullibi in Sanctis Libris expressa, a Veteribus tamen Ecclesiae Patribus usurpata. Nec nisi traditione transacta est causa de die celebrationis Paschatis contra Asiaticos; validitatis Baptismi ab haereticis conlati adversus Cyprianum; adorationis Verbi in adsumpta humanitate contra Nestorianos; et sacrarum imaginum cultus contra Iconomachos. Unde Synodus VII. *Catholicae Ecclesiae traditionem observantes, definimus Sanctas imagines venerandas: Et mox: si quis traditiones Ecclesiae sive scripto, sive consuetudine valentes non curaverit, anathema.* Quam com-

minationem et in Synodo VIII. habemus, et in omnibus fere Oecumenicis Conciliis, quod accuratissime praestitit Joannes Launoius *Epist. XIV. ad Maresium*. Vnde est quod Tridentini Patres *Sess. IV. Orthodoxorum Patrum exempla sequuti, traditiones tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipere ac venerari professi sint, atque anathema illi dixerint, qui sciens prudens illas contempserit.*

IX. Sed iam prope illud mente exciderat pervestigare, quod non nemo fortasse quaesiturus erit, cur Apostoli alia quidem litteris, alia ore tantum prodiderint; quod sane paucis expediam. Decebat enim, atque illo potissimum nascentis Ecclesiae tempore, ut mysteria quaedam populo rudi celarentur, perfectis ac maioribus seorsim communicanda (7). Vnde A-

(7) Profecto autem Pythagorae ac Platoni non aliud insedissee consilium scimus, quum non scripto, sed verbo quaedam discipulis commendariint; quo Philosophiae dignitatem se maxime tueri existimarent. Hinc Hipparcus quod publice contra quam Magister instituit, philosopharetur, a Lyside Py-

postolus II. *ad Cor. II. Non iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi IESUM Christum; et hunc crucifixum, Sapientiam autem loquimur inter perfectos.* Et I. *ad Timoth. I. et II. Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.* Quod si Apostoli, quibus formis Sacramenta essent conficienda, quibusque ritibus administranda, aliaque Religionis secreta passim vulgo tradidissent, nonne sanctum dedissent canibus? nonne omnia Religionis mysteria evertissent, quum mysterium non pos-

thagoreo non tantum reprehensus, sed discipulis aliis accusatus, eiectus est de Schola. Plato autem Dionysio de quibusdam sacris mysteriis scribens, eundem monet, ut e vestigio epistolam concerpat, ne in manus indigni vulgi perveniat. Tantaenim fuit vel Ethnicis curae, disciplinarum mysteria, et a contemptu, et a profanorum abusu defendere. Quam in rem adnotare non praeteream quod de Druidis narrat Caesar *Bell. Gallic. Lib. VI.* eos disciplinae praecepta nefas existimasse, ut litteris mandarentur. Quod consilium maximopere Tullius inculcat *Lib. I. de Legib.* et quoad sacra pertinet, melius ea putat in Republica conservari, si a Patribus accepta, deinceps familiis prodantur.

sit non latere? Igitur consentaneum fuit, nonnulla sine scripto tradere, tum ne ab Ethnicis (quod facile erat primaeva illa Ecclesiae aetate) sacra nostra irriderentur, tum ne fidelium vulgo venirent in contemptum. Quid quod viva vox (ut disertissime Hieronymus inquit ad Paulinum) nescio quid habet latentis energiae.

X. Nec vero nisi aërem verberant adversarii, unum aut alterum Scripturarum textum nobis perverse opposcentes, in primis Deuteronomii illud IV. 2. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo*; cui simile quid legitur *Apoc. XXII. Si quis adposuerit ad haec, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto*. Nam traditiones non sunt additamentum verbo Dei; sed ipsissimum Dei Verbum, et quum illas accipimus, non nisi id accipimus, quod accipiendum subest Scripturae; unde et complementa potius Scripturarum eas recte adpelles. Ceterum hisce verbis Deum non nisi depravationem omnem, atque falsam interpretationem ex Scripturis interminasse, vel ex eo luculentissime patet, quod Prophetarum, et Apostoli multa Scripturis prioribus posthac addiderint; immo Joannem post Apocalypsin scripsisse Evangelium, ipse Kemnitiis pluribus ostendit.

Cur autem Calvinus Prophetas non accusat, quod Legi Mosis quidpiam adiecerint? Cur non er Apostolos accusat, qui epistolas addiderint Evangeliiis? qui dēcretum de idolothytis, sanguine, et suffocato sanxerint (8)?

XI. Quod autem in Apostoli loco *ad Galatas* I. 8. exsultant, profecto vel imperitos satis, vel satis calumniosos ipsi se produnt. Scripserat Apostolus: *Sed licet nos, aut Angelus de caelo evangelizet vobis, praeterquamquod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Quo loco non traditionum adsertores sed suae doctrinae labefactatores damnat Paulus. Quum enim is Mosaicae legis abrogationem Galatis praedicasset; hi vero a quibusdam novis doctoribus subverterentur, qui legales caeremonias contra Apostoli doctrinam opponebant; hinc Galatas arguit Paullus de inconstantia in fide post suum discessum, eos mo-

(8) Qua etiam ratione Ecclesiasticam doctrinam, atque instituta tuemur. Non enim Ecclesia aut nova fundamenta iacit, aut novas fabricas addit; sed supraedificat super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum aurum, argentum, et lapides pretiosos: regnique caelorum semina reddit non alia, sed eadem auctiora, ut Eusebius inquit *Hist. Eccl. Lib. III.*

nens, ut neminem audiant hac in re, sed id servant, quod ipse docuit. Ceterum quae Paulli doctrina fuerit de traditionibus, supra explicavimus abunde.

XII. Sed instantius pressi ac prope fracti, caussae praesidium et ex altero Apostolico effato quaerunt II. ad *Timoth.* III. quo Scripturas sufficere iactant. *Omnis Scriptura* (inquit Paullus) *divinitus inspirata utilis est ad docendum, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Hem misere quantum ipsi se iugulant! Sine controversia Apostolus de solis Scripturis Veteris Testamenti loquitur, nam tunc temporis non dum edita Novi Testamenti erat Scriptura, quae autem edita, nondum in Canonem relata erat. Quid igitur? Ergo solum vetus Testamentum ad salutem sufficit? Quid ad haec adversarii? Porro autem Apostolus non inquit Scripturam sufficere, sed utilem esse. Sufficiet vero, si tum Novi foederis accedant Scripturae, tum traditiones, quas Timotheo in hac ipsa Epistola maximopere commendat Apostolus: *Quae autem didicisti a me per multos testes; haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.*

XIII. Quod autem *Joan.* XX. 3o. dicitur, multa Christi gesta scripta non esse, ea autem

quae scripta sunt sufficere ad salutem , non nisi de Christi miraculis quisquis sanus intelliget , quae satis erant ad Christi Divinitatem adversus suborientes Cerinthi , Ebionisque haereses comprobendam ; id quod ipse Joannes mox insinuat. Adhaec non nisi de rebus a se scriptis loquitur. Si autem Joannis Evangelium sufficeret , iam ceterae utriusque Testamenti Scripturae supervacaneae essent , quod nemo dixerit. Praeterea si quae a Joanne scripta sufficerent , quid illud est eiusdem Joannis *epist. II. Plura habens vobis scribere, nolui per chartam, et atramentum, spero enim futurum apud vos, et ore ad os loqui?*

XIV. Sed nihil tam magis miror, quam quod manibus pedibusque miseri homines nituntur, contendunt, sudant, ut ipsi sibi meti iugulum stringant. Quid? Nimirum Scripturis traditionem impugnant! At dicant quaeso unde Scripturas habemus nisi ex traditione; undenam ipsarum scitur Canon? undenam haec quae veneramur, esse vera Evangelia constat, nisi quod perpetua id traditione ad nos transmissum? O perditos usque, si Scripturas ex traditione habeatis, quomodo Scripturis traditionem oppugnatis? Tolleis traditiones? sane corruent Scripturae, simulque ex imis corruet fundamentis universum Religionis aedificium, conclamatumque

prorsus vobis erit, qui praeter Divinos Libros non aliam Christianae fidei regulam adgnoscat. Vel si Scripturas adgnoscat, adgnoscat et traditiones, per quas illae sciuntur.

XV. Sed conqueruntur adhuc, quod aperto semel traditionibus aditu, ingens errorum cohors Religionem invaderet, quum non nisi hisce armis commenta sua propugnaverint priorum temporum haeretici. Hem qui perversus iudicandi modus! quid? Hoc si esset, non traditiones tantum, sed et ipsas Scripturas aversari oporteret, in quibus illi perpetuo patrocinium quaesiverunt; quas illi in sua placita trahebant; quas aliter explicabat Novatianus, aliter Sabelius, aliter Donatus; aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Photinus, Apollinaris, Priscillianus; aliter Jovinianus, Pelagius, Caelestius, aliter postremo Nestorius. An ob tam multos erroris amfractus Scripturas repudiabimus? Immo potius ex quo haeretici traditionibus aequae ac Sacris Litteris abuti consueverint, illud pronon alveo deducitur, traditiones aequae ac Scripturas Sacras, ut Divinae revelationis fontes fuisse habitas.

XVI. Demum in quo universae orationis cardo versatur, quum pessumdandae traditionis non aliunde magis ansam adriperint Heterodoxi, quam ex eo quod dictitant, veras a

falsis , divinas ab humanis secerni non posse traditiones , notas quasdam subiicere maximo-
pere praestat , quibus id adprime patescit.

XVII. Hae autem ad tres facile reducun-
tur , quum id teneamus oporteat , quod ubi-
que , quod semper , quod ab omnibus cre-
ditum est. Quod ita demum fiet (verbis utor
Clarissimi Lirinensis *Commonitorii cap. III.*)
si sequamur universitatem , antiquitatem , con-
sensionem. Sequamur autem universitatem hoc
modo , si hanc unam fidem veram esse fa-
teamur , quam tota per orbem terrarum con-
fitemur Ecclesia ; antiquitatem vero ita , si ab
his sensibus nullatenus recedamus , quos san-
ctos maiores , ac patres nostros celebrasse ma-
nifestum est ; consensionem quoque itidem ,
si in ipsa vetustate , omnium , vel certe pe-
ne omnium sacerdotum pariter , et magistro-
rum definitiones , sententiasque sectemur.

XVIII. Ad divinitatem igitur traditionis re-
quiritur I. *Vniversitas* , seu ut ubique , non
in una singulari Ecclesia doctrina quaevis tra-
dita obtineat. Nam unius singularis Ecclesiae
finibus contineri nequit Divina traditio ; alio-
quin in unum terrae angulum evadere posset
Ecclesia Catholica , quod contra Donatistas
oppugnat Augustinus. II. *Antiquitas* , seu ut
semper , non in uno quidem aut altero , sed

in omnibus retro saeculis, ab ipsis Ecclesiae primordiis ad hanc usque aetatem, traditio illa intemerata perstiterit; secus una non esset Ecclesia. III. *Consensio*, seu ut ab omnibus, nempe Episcopis, Patribus, Doctoribus, vel saltem a pluribus ea traditio edoceatur. Alias Ecclesia non esset catholica, nec Apostoli eadem omnia omnibus tradidissent, quod impium est suspicari.

DISSERTATIO III.

DE ECCLESIA.

EX innumeris hostibus, qui ab ipsis Religionis Christianae incunabulis in humana Divinaque omnia debachati sunt, nemo profecto extitit, qui ad hunc scopulum non alliserit. Quum enim malignantium perduelliumque machinae detegi facile possent, si Ecclesiae iudicio staretur, quae columna est, et firmamentum veritatis, dici vix potest quantum virium ad illius oppugnandam auctoritatem contulerint. At quoniam non humana, sed Divina ope fundata est Ecclesia, oppugnari quidem haeresibus potest, expugnari nequaquam; quin vero in ipsa pugna fortior evadit. Ipsis enim erroribus ad proventus utitur suos, Hipponensis Pontifex inquit, utitur enim gentibus ad materiam operationis, haereticis ad probationem doctrinae, schismaticis ad documentum stabilitatis, Judaeis ad comparisonem pulchritudinis.

CAPVT I.

De Ecclesiae notione.

I. **S**YNAGOGAE Ecclesiaeque vocabula, tametsi significatu synonyma, utrumque enim Graece coetum, sive congregationem notat, usus Ecclesiasticus fecit, ut illud Hebraeorum, hoc Christianorum societati addiceretur (1); quamquam olim promiscue usurpantur hae voces; nam et *Synagoga* de Christianorum coetu dicitur *Act. XV. 2. Jacob. II. 2.* Et *Ecclesiam* Hebraeorum Congregationem saepe in veteri novoque Testamento nuncupari nemo ignorat. At ratum penes nos maneat discrimen, quod

(1) S. Augustinus in *Expositione Epist. ad Romanos* ex etymologia ipsa Ecclesiae docet, cur coetus fidelium in veteri Testamento *Synagoga*, in novo *Ecclesia* dicatur; nimirum quod Iudaei terrenarum promissionum pabulo ritu pecudum erant congregandi (συναγω enim id Graece sonat, quod apud Latinos *congrego*) Christiani vero ad aeternae felicitatis promissionem more hominum convocandi.

post divulgatum Evangelium communi Scripturarum , veterumque Scriptorum consuetudine adeo invaluit , ut non in alia nunc Societate *Ecclesiae* nomen adgnoscat, nisi quae Christi fide , et vocatione coaluerit.

II. *Ecclesia* igitur *Evocatio* interpretatur , sive quod omnes ad se vocet , sive quod quicumque in eam conveniunt , hi non meritis , et justitia sua , sed Dei gratia , et vocatione conveniant. Hanc vero ut recte definiamus , viam primum sternere oportet munitissimam , ne vagari porro , ac errare cogatur oratio. Sane enim tres esse unius *Ecclesiae* partes nemo inficiabitur , triumphantem Coelis , patientem purgationis igne , et terris militantem. De militante loquitur Apostolus ad *Ephes. V. 25. Christus dilexit Ecclesiam , et seipsum tradidit pro ea , ut illam sanctificaret , mundans laxacro aquae in verbo vitae. Et e vestigio de triumphante subdit , ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam , non habentem maculam aut rugam. Patiens demum arguitur ex verbis Christi Matth. XII. v. 32. qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum non remittetur ei neque in hoc saeculo , neque in futuro. Quod , inquit Augustinus , adfirmare minime potuisset , nisi essent , quibus etsi non in isto , tamen remitteretur in futuro. Remitti autem non po-*

potest in Regno coelorum, quo nil coinquinatum intrabit, aut in inferno ubi nulla est redemptio; in alio igitur loco quem *purgatorium* dicimus.

III. At vero militans Ecclesia, altera Christum antecessit, altera subsequuta est. Atque illa quidem ab initio mundi fuit in Adamo primum, et Eva, post lapsum ex Fide Christi venturi iustificatis. Exinde enim fideles omnes unius Ecclesiae membra fuerunt, eiusdem cuius nos membra sumus, habentes eundem Spiritum fidei; Haec vero per Christum ipsum instituta, iam tum arctam Societatis, aut Reipublicae speciem Divinitus accepit.

IV. Porro autem hunc Militantis Ecclesiae statum, quem illa in Novo Testamento a Christo accepit, nostra tantum persequitur oratio; unde a Bellarmino Cardinali doctissimo adposite definitur: *Coetus hominum eiusdem Christianae fidei professione, et eorundem Sacramentorum communionem colligatus sub regimine legitimorum Pastorum, ac praecipue Romani Pontificis* (2). Quibus verbis excluduntur ab

(2) In Bellarminianam hanc Ecclesiae definitionem, congestis multorum Patrum testimoniis a S. Justino ad Canisii usque aetatem, ferit Joannes Launojus *Ep. ad Nicolaum Catinaeum*. In eo autem

Ecclesia infideles, tum qui numquam in ea fuerunt, de quibus Apostolus: *Quid enim mihi de iis qui foris sunt iudicare?* ut Iudaei, Ethnici, Turcae, tum qui fuerunt aliquando, et defecerunt, ut Haeretici, et Apostatae. Item Cathecúmeni in eius quidem utero quodammodo concepti, sed nondum per Baptismum nati, nec in Sacramentorum consortium admissi. Demum excommunicati, qui per Eccle-

maxime offenditur, quod mentio ibi interponatur regiminis Pastorum, ac praecipue Romani Pontificis, quae profecto res, ait, nova est, et veteribus Patribus prorsus ignota. Sed bona Launoi pace dicam; vel fallit, vel fallitur, ut enim Irenaeum *Lib. III. Cap. III. adversus haereses*; Tertullianum *Lib. de Praescript. Cap. XXXI.* Optatum *Lib. II. contra Parmenianum*; Hieronymum *Epistola ad Damasum*; Gregorium Magnum *Epist. CXIII. Lib. XIII.* aliosque praeteream, certe Cyprianus *Epistola LXV.* ex editione Rigaltiana « Ecclesia est, inquit, plebs Sacerdoti adunata, et Pastori suo grex adhaerens. » Nec porro huiusmodi definitio manca est, quod Ecclesiae anima, nimirum Fides, Spes, et Caritas praetereatur; nam heic non nisi partem Ecclesiae visibilem definimus, seu societatem illam externam, quae corpus Ecclesiae dicitur, et constat exteriori professione fidei, Sacramentorum Communionem, et subiectionem legitimis Pastoribus, de qua sola modo nobis cum Protestantibus controversia est,

siae censuram eorundem communionem sunt interditi , et Schismatici , qui secessione ab Ecclesia facta Pastori legitimo non obtemperant.

V. Atque haec est Ecclesia illa , quam Christus ipse proprio sibi Sanguine acquisivit , quae et domus , et aedificium Dei ab Apostolo appellatur , cuius idem fundamentum , artifex , et habitator Christus Jesus. Haec illa , quam sibi sponsam copulavit , ab aeterno electam , in tempore collectam ex omni Tribu , Lingua , et Natione , deformem , foedam , pauperem , captivam antequam illi conjungeretur , sed a sponso sanatam , redemptam , dotatam , incomparabili pulchritudine donatam , ac vestitu deaurato ornatam , Sapientia nimirum , Fide , Caritate , atque linguarum , charismatum , et ordinum varietate.

CAPUT II.

De Membris Ecclesiae.

I. **A**T vero statuta Ecclesiae definitione, id ordinis ratio efflagitare nunc videtur, ut quinam ad Ecclesiam pertineant, qui vero extra Ecclesiam sint, accurate investigemus. Qua in re immane quantum a Catholicis discrepant Heterodoxi! Quum enim a vera Christi Ecclesia infami rebellionem defecissent, nihil non excogitare, vel ut potius dicam somnare destiterunt, ne inde turpiter secessisse viderentur: et alii quidem nullam infirmitatem in Ecclesia dari posse contendentes, solis perfectis, quos nulla umquam labes commaculaverit, constare illam dictitarunt. Quales olim fuerunt Cathari, et qui ad horum vesaniam accesserunt, Novatiani, Donatistae, et Pelagiani. Alii vero non nisi unis praedestinitis ad gloriam locum in Ecclesia concesserunt; cuius erroris auctores praecipui fuerunt ambo illi Joannes in Concilio Constantiensi damnati Wicleffus, et Hus; ex quorum mox deliramentis Lutherani, Calvinianique profecerunt, illi quidem solos justos, hi vero justos praedestinos partes esse verae Ecclesiae blaterantes,

II. Ex quibus vides in eo nos ab Heterodoxis dissentire, quod hi interiores virtutes, ut quis in Ecclesia locum habeat, requiri contendunt, proindeque veram Ecclesiam invisibilem faciunt; nos contra, tametsi fatemur in Ecclesia virtutes omnes inveniri Fidem, Spem, et Caritatem, tamen ut quis Ecclesiae pars dici possit, non aliud opus esse putamus, quam externam tantum Fidei professionem, et Sacramentorum Communionem, ut ita vere visibilis Ecclesia, et sit, et dicatur. Id quod invictissimis argumentis nunc praestat conficere.

III. Et primum si solis perfectis constaret Ecclesia, nulla quidem ea esset in terris, quum nemo usquam mortalium sit, qui omni gaudeat perfectione. *Si dixerimus, inquit Joannes I. quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est.* Unde et acrius instat Paullus *ad Hebr. V. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, ut offerat sacrificium pro peccatis: qui condolere possit iis, qui errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate, et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis.* Quomodo autem peccatoribus locum in Ecclesia negemus si non est homo qui non peccet (Reg. VI. 8.)? *Si nemo potest dicere mun-*

dum est cor meum, mundus sum a peccato (*Proverb. XX.*)? An vero non a Christo ipso edocta Ecclesia, in toto terrarum orbe clamat: *Dimitte nobis debita nostra?*

IV. Praeterea Cephas Ecclesiae non tam pars erat, quam columna: Et ei tamen Apostolus in faciem restitit quia reprehensibilis erat. Item Episcopus Angelorum nomine arguit Joannes *Apoc. Cap. II. et seq.* et ad poenitentiam admissi criminis cohortatur; Episcopo praesertim Sardensis Ecclesiae inquit: *Nomen habes, quod vivis, et mortuus es.* Item Faullus in Thessalonicensi Ecclesia quosdam inquiete ambulantes notabat, quos ut fratres corripiendos monuit. Item ad Galatas scribens, eosdem arguit, quod abducti essent a veritate, quam ab ipso acceperant. Inter Corinthios quoque fervebant contentiones, sectae, aemulationes, vigeant lites, et jurgia, favebatur sceleri, quod gentibus ipsis erat execrabile; an proinde inter eos Ecclesia non erat? profecto Apostolus non Ecclesiam tantum, sed Sanctam Societatem eos adpellat.

V. Quid quod ex Ecclesia insignes; ac manifestos peccatores eiici posse, nemo umquam inficiabitur. Christus enim eiiciendum iubet ab Ecclesia qui correptus eam audire recuset *Matth. XVIII.*: *Si peccaverit in te frater*

tuus vade, corripe eum, si non audierit dic Ecclesiae, si Ecclesiam non audierit sit tibi tamquam Ethnicus, et publicanus. Paullus quoque incoestuosum Corinthium ob infandum crimen reiecit. Jam vero insignes isti peccatores, antequam eiicerentur, ubi erant nisi intus Ecclesiam? Demum Poenitentiae Sacramentum iis a Christo paratum est, qui intra Ecclesiam sunt; sed illud non iustorum est, et perfectorum, sed peccatorum, ergo peccatores etiam sunt intra Ecclesiam. At vero otiosum est diutius in erroris huius confutatione immorari, potissimum quum in hac causa Augustinus, et Hieronymus strenuissime versati sint.

VI. Sequitur modo altera pravitas, qua contendunt solis praedestinati locum esse in Ecclesia. Quid? Ecclesia est Civitas illa supra montem posita *Math. V.* adeoque cognita sit omnibus oportet, et manifesta; quomodo autem manifesta erit, si unis constaret praedestinati; vel quis enim nosse potest qui sint praedestinati, qui reprobi? Quin vi sua corrueret illa, nam quum dubitare possint fideles, an Pontifices, Episcopi, Sacerdotes sint praedestinati nec ne, dubitabunt quoque, num eorum legibus adstringantur, ex quo quidem fiet, ut Ecclesiae, Conciliorumque dogmata in ambiguo sint omnia.

VII. Sed argumentis opus non est, ubi ipsa veritas loquitur. Ad id enim probandum aptissimae sunt parabolae, quibus Ecclesia in Scripturis designatur. Comparatur enim agros, et areae, et sagenae missae in mare. *Math.* XIII. nuptiali convivio *ibid.* XX. ovili *ibid.* XXV., et decem Virginibus *ibidem.* Sed vero in agro Dominico inter nitentia culta, lap-paeque, et tribuli, et steriles dominantur avenae. In sagena pisces boni concluduntur, et mali, qui non seliguntur donec in littore sunt expositi. Ad convivium intrarunt boni, et mali. Ovile oves, et haedos habet. Ex decem Virginibus quinque fatuae erant, quinque prudentes, hae cum Domino intraverunt ad nuptias, illis exclusis.

VIII. Quamdiu igitur in hac vita sumus, Christi Ecclesia non solis praedestinati constat, sed reprobis etiam, donec veniat discretionis tempus. Verumtamen aliter in ea sunt boni, aliter mali. Boni ita sunt in domo Dei, ut ipsi etiam sint eadem domus Dei. Mali vero sic in ea sunt, ut non pertineant ad compagem domus, sed sicut palea dicitur esse in frumento: Boni sunt in ea ut vasa aurea, et argentea in honorem, mali ut vasa lignea, et fictilia in contumeliam. Ita Augustinus *Lib. VIII. de Baptismo contra Donatistas.*

CAPUT III.

De Divinis Ecclesiae proprietatibus.

SECTIO I.

Christi Ecclesia visibilis est.

I. **E**cclēsiā suā ut visibīlem, totoque orbe terrarum effulgentem redderet, qui prius in Sinu Patris absconditus erat, visibilis adparuit, et Verbum caro, adveniente temporum plenitudine, factum est. Quam Ecclesiae visibilitatem, claritatemque jamdudum Isaias II. 2. vaticinatus fuerat Hieronymo interprete. *Erit in novissimis diebus praeeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent, venite, et ascendamus ad montem Domini.* Unde Augustinus: *Ecce mons implens universam faciem terrae, ecce civitas de qua dictum est, non potest civitas abscondi supra montem posita.*

II. Re quidem vera ipse Dominus Christus dixit, se super visibilem petram, qui Petrus

erat, aedificaturum Ecclesiam: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*: In qua et visibilem clavium auctoritatem posuit, et visibile ministerium instituit, vel tum quum in caelum ascensurus Apostolis praecepit *Matth. XXVIII. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos . . . docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis*. In cuius visibilis ministerii opus visibiles dedit ministros, quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, et Doctores, ut inquit Apostolus.

III. Enimvero omnino oportebat, ut quae non Angelorum, neque animorum, sed hominum societas erat, visibilis fuisset, et externis, visibilibusque Sacramentorum vinculis colligata maneret. Quomodo enim fideles inter se communicabunt, nisi noverint quibuscum communicare debeant? Et infidelis qui velit in Ecclesiam Catholicam ingredi, ubinam illam quaeret, si illam non cognoscat?

IV. Porro Scripturae jubent *Matth. XVIII.* ut frater ab impietate non resipiscens, tertio tronus, denuntietur Ecclesiae; Si Ecclesiam non audierit, foras eiiciatur, et habeatur ut ethnicus, et publicanus. Item *Actor, XX. v. 28.* scriptum est: *Attendite vobis,*

et universo gregi , in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Et apud Apostolum I. ad Timoth. III. 15. ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari , quae est Ecclesia Dei vivi. An vero posset ad Ecclesiam deferri delictum , posset eadem regi , aut in ea quis conversari , nisi aperta omnibus esset , et omnibus visibilis ?

V. Nec vero invisibilem ideo dicas Ecclesiam , quod in eam credere jubearis , quod urget Lutherus. Nam Ecclesiam , et videmus , et credimus , tametsi diversa ratione videmus , diversa credimus. Videmus eam in coetu fidelium , quibus constat , in pastoribus quibus regitur , in doctrina quam profitetur , in Sacramentis quibus communicamus , eamque hoc modo vident ii etiam qui non credunt. Hunc verq̄ coetum veram esse Christi Ecclesiam , non oculis cernimus , sed fide credimus. Sicut Apostoli Christum hominem videbant , Filium vero Dei non videbant , sed credebant. Videmus hinc Ecclesiae corpus , sed Spiritum Sanctum quo regitur non videmus , sed credimus. Credimus spiritalem finem in quem ordinatur , mysteria quae in ea continentur , Sacramentorum gratiam , quae in ea conficiuntur , credimus claves traditas illi , potestatemque ligandi , ac solvendi ; quae

quidem non oculis corporis, non humana ratione, sed sola fide percipi possunt.

VI. Tametsi porro humanae menti sine Sancti Spiritus illustratione nota non sit Ecclesiae veritas, tamen sicut admissis Prophetarum vaticiniis, quibus Christi ortus, vita, miracula, passio, resurrectio, et mysteria omnia describuntur, manifestum est **JESVM Nazarenum crucifixum, esse Christum, sive Messiam, et Redemptorem a Deo promissum;** ita recepta Christi Capitis fide, receptis Scripturis, quibus characteres verae Ecclesiae describuntur, manifestum est hanc, et non aliam esse Christi Ecclesiam, quae, tesseriis illis ornata, visibili, ac perpetua successione originem suam ab Apostolis probat. Et sicut nullam infidelitatis suae excusationem habent Judaei, qui Dominum **JESVM Christum advenisse negant, quoniam excoecavit illos malitia sua, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriae Dei;** ita nullam habent excusationis rationem haeretici, et schismatici, qui Ecclesiam Catholicam non agnoscunt, illique non credunt, quippe infidelitatis suae tenebris impediuntur, ne lumen eius videant.

Ecclesia Christi nec defecit , nec deficiet unquam.

I. **C**hristi Ecclesiam perpetuo esse usque ad consummationem saeculi duraturam, jam tum Christus palam omnibus fecit, quum *Luc. IV.* ingressus Nazareth, Isaiae caput in Synagoga legit, in quo scriptum: *Et foedus perpetuum feriam eis, et scient in gentibus semen eorum, et germen eorum in medio populorum. Omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* Habes foedus sempiternum, habes non interruptam Ecclesiam. Item *Danielis II.* In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur, cui concinit *Lucas I.* *Et regni ejus non erit finis.* Quae sane de Christi Ecclesia visibili omnino intelligenda.

II. Sed amplius accedunt manifestissimae Christi Domini pollicitationes. Nam quum super firmam petram se Ecclesiam aedificaturum promisisset *Matth. XXVI. 18.* e vestigio subiunxit: *et portae inferi non praevalent adversus eam, ut illius stabilitatem numquam*

collapsuram intelligeremus. Rursus *Luc. XXI. 32. Amen dico vobis, quia non praeteribit generatio haec donec omnia fiant; et adhuc luculentius Matth. XXVIII. 20. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem Saeculi.*

III. Quam sanè perpetuam visibilis Ecclesiae durationem non Apostoli tantum, sed Graeci Latinique Patres omnes intuitu testimoniiis comprobarunt. Pauca adferam veluti spicas aliquot ex uberrimis manipulis. *Profiteor* (inquit Alexander Patriarcha Alexandrinus ad Alexandum Episcopum Constantinop.) *unam, ac solam Catholicam Ecclesiam, quae semper quidem inexpugnabilis est, licet univ-
ersus orbis eam oppugnet: victrix autem est
omnis impiae factionis haereticorum, qui ad-
versus ipsam consurgunt. Et Augustinus Lib.
II. de Abraham Cap. III. Ecclesia tunditur
saecularium curarum fluctibus, sed non sub-
ruitur, caeditur sed non labefactatur; com-
motiones fluctuum, et insurrectiones passionum
corporalium facilis premere, ac mitigare. Spe-
ctat aliorum naufragia, ipsa immobilis, et
exsors periculi.*

IV. Sed magni refert et S. Joannem Chry-
sostomum audire (*Hom. IV. in Isaiam*) :
Ecclesia firmioribus, quam ipsum Coelum

radicibus defixa haeret; facilius est Solem exstingui, quam Ecclesiam deleri. Et in oratione antequam iret in exilium: Nihil Ecclesia potentius. Si Ecclesiam oppugnas, vincere nequis, omnibus quippe fortior est Dens... Ecclesia est ipso coelo fortior; coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Quae verba? Tu es Petrus cet. et portae inferi non praevalerunt adversus eam. Si non credis verbo, rebus crede. Quot tyranni Ecclesiam opprimere tentarunt? nihilque profecerunt. Ubinam sunt hostes illi? Silentio, et oblivione traditi sunt. Ubinam Ecclesia? plusquam Sol splendescit. Hieronymus vero (Comment. in II. Isai.): Super petram fundata Ecclesia nulla tempestate concutitur; nullo turbine, ventisque subvertitur.

V. Sed apage! quid testimoniis egemus, quum satis longo decem, et novem saeculorum experimento edocti sumus, neque hujus mundi potentias, neque inferi portas adversus eam vel minimum praevaluisse. Neque enim ignari sumus trium priorum saeculorum, quum eam adhuc in suis incunabulis, Judaeorum, Paganorumque gens armata simul perdere conata est. An succubuit? Imperii Romani vires omnes ad eam exterminandam conlatae, ubique Tyranni, et Carnifices, ubique saevitia, luctus, pavor, atque horrida mortis imago;

quid? de hostibus victis triumphavit Ecclesia, atque in ipsa Imperii arce Crucem erexit. Quid dicam de barbarorum colluvie tanta, qui omnia diu multumque turbarunt? Immota ipsa et barbaros novit mansuefacere.

VI. Sed heic se miscet Basnagius, et eo nos argumento urgendos existimat, quo is erubescere debuisset, nos vero magis exultare. Tametsi enim Ecclesiam deficere non posse arbitratur, tamen defecisse aliquando; seu ut ipse ait, *invisibili modo substituisse* contendit; nimirum in Diocletiani persecutionem intendit, atque in Arianorum temporum acerbitatem. Sed homo hic vel confundit, vel confundere simulat florentem Ecclesiae statum cum statu ejusdem visibili, et numquam defecturo. Putat visibilitatem Ecclesiae ita cum celebritate Conciliorum, templorum magnificentia, tranquilla Evangelii nuntiatione, et principum gratia cohaerere, ut si quando haec desint, quod sub persecutoribus contigit, ipsa etiam Ecclesia visibiliter deesse dicenda sit, nec nisi invisibiliter subsistere. Quod falsum est, et satis ineptum. Nam Christus non perennem Ecclesiae suae prosperitatem, sed visibilem perennitatem promisit, sic ut in secundis, et adversis maxime temporibus eluceret. Nam et jactantibus navim procellis, tum lit, ut et navigantium perspicias tolerantiam; et

gubernatoris prudentiam plenius adgnoseas.

VII. Quin in ipsa saevientium persecutio-
num immanitate, illustrium martyrum testi-
monia, invicta in subeundis suppliciis con-
stantia, ingens miraculorum numerus, fre-
quentes gentium conversiones, et motus ipse
Reipublicae, qui inde excitabatur, stupidum
quemlibet, ac coecum exciere poterant ad il-
lam tametsi tristiorera, at longe visibiliorem
Ecclesiae faciem adgnosendam sequendamque.
Vnde Tertullianus *Apolog. cap. I. Nec quid-
quam tamen proficit exquisitior quaeque cru-
delitas vestra: illecebra est magis: sectae
plyres efficiuntur, quoties metimur a vobis:
Saxen est Sanguis Christianorum.* Et Hilarius
*Libro VII. de Trinitate. Hoc enim Ecclesiae
proprium est, ut tum vincat, quum laeditur:
tunc intelligatur quum arguitur, tunc obti-
neat quum deseritur.*

VIII. Sed ut eo me referam, unde digres-
sus sum, adhuc multum est quod suspicien-
dum restat. Saepe videbatur, ut inter tot hae-
reticorum bella, quibus Ecclesia dilaceraba-
tur, jam prope esset ut concideret demum.
Sed Christo fundamento suo fundata, tunc ma-
gis stabat, quam ruituram eam Orbis crederet.
Unius aetatis hic juvat meminisse, quum Aria-
na pestis longe lateque furebat. Audi Hierony-
mum: *Ingemuit totus orbis, et Ariamum se*

esse miratus est. Periclitabatur navicula Apostolorum, urgebant venti, fluctibus latera tundebantur, nihil jam supererat spei; Dominus excitatur, imperat tempestati, bestia moritur, tranquillitas rediit. Manifestius dicam, omnes Episcopi, qui de propriis sedibus fuerant exterminati ad Ecclesias redeunt. Tunc triumphatorem suum Athanasium Aegyptus excepit, tunc Hilarium de praelio revertentem Galliarum Ecclesia complexa est; tunc ad reditum Eusebii lugubres vestes Italia mutavit. Vides hinc navim Ecclesiae in alto haerensum, seditionum, discordiarumque procellis fluitantem, fuisse jactatam quidem, ac pene opertam fluctibus, sed non fuisse tamen in tanta etiam tempestate demersam. Quin in suis licet paucis fortissimis eminuit, qui quo magis in remigando laborarunt, eo spectabiliores clarioresque fuerunt.

IX. Age igitur, mundi historias omnes excutias, profecto non aliud tantae durationis exemplum nobis suppeditant. Una Ecclesia de sua gloriatur antiquitate. Nimirum non humanis artibus, non sua virtute, sed una superna Onnipotentis Dei ope consistit, ut proinde ipsius Dei verbo ianxi credere debeamus, ipsam permansuram usque ad consummationem Saeculi.

Ecclesia Christi errare non potest.

I. **Q**uum Ecclesia Corpus Christi sit, ut Apostolus docet *ad Eph. I.* a suo certe Capite movetur, et regitur, proinde ad nullum errorem moveri potest, secus enim error illius in Christum auctorem recideret. Unde Apostolus idem: *unus Spiritus, et unum Corpus*, quod si Spiritu veritatis agitur Ecclesia, jam non potest profecto non in omnem veritatem duci.

II. Sed porro testatissimae accedunt ipsius Capitis Christi Domini promissiones, quibus Ecclesiae veritas innititur *Joan. XV. Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum Spiritum veritatis. Et mox: quum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Nisi igitur has Christi pollicitationes vanas, atque irritas facimus, de Ecclesiae infallibilitate nullatenus est dubitandum. Quid quod ab Apostolo *I. ad Timoth. Columna*, et firmamentum veritatis adpellatur. Et certe si veritas in Ecclesiae humeris innixa est, deesse illi omnino non potest, nisi

et Ecclesiæ suae Christus, et Christo ipsa veritas desit.

III. Hinc Patres omnes ad Ecclesiam provocare consueverunt in rebus fidei, quod certe nullo modo fecissent, si Ecclesiam falli posse existimarent. Omnium instar in re luculenta paucos educam. Irenaeus *Lib. III. adversus Haeres. Non oportet adhuc quæ- rere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere.* De Augustino non est cur quaeramus, quum scitissimum sit illius effatum *contra Epist. fundam. Cap. V. Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicae commoveret auctoritas.* Vnde Fulgentius *Epist. ad Prof. cap. V. Ecclesia virgo in Fide, et Caritate persistens, et Sapientiam possidet, et virtutem, ideo nec deductione decipitur, nec violentia vincitur, quæ internæ virginitatis integritate fulcitur.*

C A P U T IV.

De Notis, et Tesseris Ecclesiae.

Adhuc id restat, ut quæ sit vera Christi Ecclesia videamus, ne cum Synagoga Sata- nae, et Ecclesiis malignantium veluti sponsa

cum meretricibus confundatur. Quamobrem certissima signa, quibus illa ceu testibus locupletissimis nosci possit, modo statuere maxime praestat.

S E C T I O I.

Christi Ecclesia est VNA.

I. **V**nam esse Ecclesiam Christi, vel ex multis figuris, quibus in Scripturarum tabulis designatur, pronum esset cuique intelligere. Nam haec illa unica sponsa, de qua scriptum *Cant. VI. una est columba mea, perfecta mea*; haec illa *una dorsus*; in qua erat agnus paschalis comedendus *Exod. XII.* haec illa Christi tunica inconceptilis, quam minime voluit Deus a militibus scindi *Joan. XIX.* Sed adhuc Christus illius unitatem luculentissime expressit *Joan. X. Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.* Quin antequam se passioni traderet, nihil enixius postulare a Patre visus est, quam Ecclesiae unitatem *Joan. XVII. Pater Sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos.* Vnde Apostolus *ad Ephes IV. 3.* fideles hortatur, ut sint solliciti servare unitatem spiritus in

vinculo pacis. Vnum Corpus, et unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae; unus Dominus, una fides, unum baptisma.

II. Jamvero tria sunt, ex quibus Ecclesiastici corporis compages in unum coalescit; nimirum unitas fidei, unitas Sacramentorum, unitas regiminis. Quod sane ex Dominico mandato discimus: *Euntes ergo docete omnes gentes, in quo unitatem fidei habes; baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ex quo unitatem intelligis Sacramentorum; docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis, in quo subiectio legitimis pastoribus commendatur. Quam semel a Christo traditam unitatis doctrinam, Apostoli et magis explicarunt, et sedulo tradiderunt. Hinc de priori unitatis vinculo Paullus in *Epist. ad Ephes. IV. donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionem filii Dei. De altero in Epist. I. ad Corinth. XII. etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus. De postremo demum ad Ephes. IV. ubi de Christo adfirmat, quod quosdam quidem dedit Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores, et doctores in aedificationem Corporis Christi.**

III. Quod autem una sit Ecclesia, una societas, et una communio, et ita una, ut haereticos, et schismaticos a sinu suo prorsus

excludat , conspirantibus veterum Patrum testimoniis abunde probatur (1). Verum ne in re tam luculenta diutius distineamur , unus sufficiat S. Cyprianus *Lib. de Vnit. Eccl.* » Ecclesia una est , quae in multitudinem latius incremento foecunditatis extenditur : quo modo Solis radii multi , sed lumen unum ; et rami arboris multi , sed robur unum , tenaci radice fundatum : et quum de fonte uno rivi plurimi defluant , numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate , unitas tamen servatur in origine. Avelle radium Solis a corpore , divisionem lucis unitas non capit : ab arbore frange ramum , fructus germinare non poterit : a fonte praecide rivum , praecisus arëscet. Sic et Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit unum tamen lumen est , quod ubique diffunditur , nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit , profluentes largiter rivos

(1) Praeclara , et ponderosissima sunt , quae in hanc rem conferunt Clemens Alexandrinus *Stromat Lib. VII.* Lactantius *Lib. IV. Divinar. Instit.* S. Cyrillus Hierosolymit. *Cathech. XVIII.* S. Optatus Milevit. S. Augustinus *Libr. de Vnit. Eccl.* S. Fulgentius *Lib. de Fide ad Petrum. S.* Gregorius Magnus *Moral. Lib. XVIII.*

latius expandit : unum tamen caput est, et origo una, et una mater foecunditatis successibus copiosa «.

SCHOLION I. Constat hinc Ecclesiam Romanam esse veram Christi Ecclesiam ; nam una est, tum fide, quum non nisi quae ab Apostolis vel tradita, vel scripta accepit, credenda fidelibus proponat : tum Sacramentis, quum eadem ipsa septem a Christo instituta, et perpetua traditione transmissa administret ; tum denique Pastoribus, qui manuum impositione accepta, Ecclesias suas legitime gubernant, et cum Romana cathedra communicant.

SCHOLION II. Constat praeterca, Protestantium Ecclesiam, veram non esse Christi Ecclesiam. Nam una non est ; nec eadem fide, quum varias ediderint confessiones, et in una quidem Saxonia Augustanam, Smalcaldensem, Saxoniam, Wittembergensem ; Dresdensem ; nec iisdem Sacramentis, siquidem Lutherus *Lib. de Capt. Babyl.* tria statuit, baptismum, poenitentiam, panem ; et tria pariter Melancthon Lutheri collega in *Confes. August.* Zuinglius vero matrimonium addit *Lib. de vera et fals. Relig.* Calvinus demum baptismum tantum, et coenam noscit *Lib. IV. Inst. Christ. cap. XVIII.* tametsi ordinationem adiicere videatur *cap. seq.* Nec iisdem Pastoribus, varium enim est apud Lutheranos Ecclesiarum regimen ; apud

Calvinianos autem nulla est hierarchia ; neque illis porro , nec his unum caput est quocum convenient.

S E C T I O II.

Christi Ecclesia est SANCTA

I. **S**anctitas praecipuum est Ecclesiae Christi sponsae signaculum , Apostolo dicente *ad Ephes. V. 25 Christus dilexit Ecclesiam , et seipsum tradidit pro ea . . . ut sit sancta , et immaculata.* Quam sane notam una Christi Ecclesia sibi iure vindicat. Nam Sancta est Sanctitate Capitis , et Conditoris sui , qui est *Sanctus Sanctorum Exod. XIII.* tum et sanctitate vocationis , quum dicat Apostolus *ad Ephes. I. elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti , et immaculati ;* et sanctitate demum cultus , cui est addicta , quemadmodum et primogeniti Deo dicati *Sancti* in Veteri Testamento nuncupabantur.

II. Quid quod et aliis etiam nominibus Sanctitas jure potissimo Ecclesiae convenit. Sancta namque est Sanctitate doctrinae , quae a Christo Apostolis , ab Apostolis autem Ecclesiae tradita est ; Sancta sanctitate Sacramentorum , per quae , tamquam efficacia Divinae gratiae instrumenta , Deus veram efficit san-

titatem, sic ut nemo extra Ecclesiam esse sanctus possit; Sancta denique sanctitate multorum membrorum, qui illam vel sanguine, vel vitae innocentia consecrarunt, quales sunt et Martyres, et Confessores, et Virgines. Cui sane sanctitatis ornamento nihil quidquam ceterorum improbitas officit; eodem prorsus modo, quo civitas aliqua dives esse dicitur, et exercitus fortis, etiamsi plerique cives pauperes, aut timidi sint commilitones.

SCHOLION I. Patet ex his Ecclesiam Romanam esse veram Christi Ecclesiam. Nam sancta est, tum doctrinae deposito, quod sibi divinitus creditum, incolume semper custodit, tum communionem Sacramentorum, Eucharistiae potissimum, in quo ipsum Sanctum Sanctorum vescendum fidelibus tradit; tum sobole innumera consummatae sanctitatis, quae ex ejus sinu in dies prodit.

SCHOLION II. Patet iterum, Novatorum Ecclesiam non esse Christi Ecclesiam. Nam sancta non est, sive sectae auctores spectes, quos impios, seditiosos, et blasphemos constat fuisse (2); sive doctrinam attendas, quum

(2) De Lutero legantur vitae ab ipsis Protestantibus scriptae, Joanne Mullero, Christiano Juncker, et Henrico Rebenstock, qui et eius discipulus fuit. De Calvino res notior est, quam

veterum haereticorum consopitos errores suscitaverint, eorumque vestigiis institerint; si-ve eorum agrum sanctitatis plantis omnino expertem; nam (ut Cypriani verbis utar) ardeant licet flammis, et ignibus traditi, vel obiecti bestiis animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed poena perfidiae, nec religiosae virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest.

S E C T I O III.

Christi Ecclesia est CATHOLICA.

I. **V**iden singularem illam tesseram, qua Christiani omnes in unitate Ecclesiae permanentes ab haereticis, et schismaticis adprime distinguuntur? Vera enim Christi Ecclesia Catholica est; nimirum universalis, et toto terrarum orbe diffusa (3).

quae monitore indigeat Nec Zuinclium, Oecolampadium, Carlostadium memoro, quorum infames turpitudines vel indicare tantum scelus esset.

(3) Vel ab ipso sui exordio Ecclesia catholicae nomen sibi adscivit; Nam S. Igna-

Christus enim *Matth. XXIV. 14.* praedicandum iussit Evangelium regni in universo orbe,

tius Petri post Evodium in Cathedra Antiochena successor in Epistola ad Smyrnenses inquit: *Ubi fuerit Christus Jesus, ibi Catholica est Ecclesia.* Et ipsi Smyrnenses apud Eusebium *Lib. IV. Hist. Eccles. cap. XV.* epistolam scripserunt omnibus ubi cumque terrarum Sanctae et Catholicae Ecclesiae populis. Quibus locis adprime refellitur Jo: Gberardi Vossii sententia in *Lib. de tribus Symbolis Dissert. I.* putantis dictionem catholicam circa III. Saeculum Symbolo adiectam fuisse. Non autem metatet particulares etiam Ecclesias catholicas adpellari consuevisse, ut apud Eusebium, Socratem, et in Ecclesiasticis monumentis plerisque. Sed eo nomine ideo sunt salutatae, quod cum Catholica communicarent, tamquam partes suo corpori iunctae. Id quod summo consilio factum, eo potissimum tempore, quo pleraeque Schismaticae Ecclesiae in eadem urbe obtinebant, ut proinde ea vocis distinctio particularibus etiam Ecclesiis necessaria fuerit, ut ita ab haereticorum, et Schismaticorum conventiculis internoscerentur. Vnde Cyrillus *Cathech. XVIII.* « Si quando peregrinatus fueris in Civitatibus, ne simpliciter requiras ubi sit Ecclesia, sed ubi sit Catholica Ecclesia. » Quod autem Cl. Alexius Mazochius noster in suo *Kalend. die XXVIII. Mart.* contendit *Catholicae* nomen tantumdem valuisse, ac *Cathedralis, Parochialis, seu Baptisma-*

in testimonium omnibus gentibus; et Apostolos mittens, mandavit illis *Marc. XVI.* ut irent in universum orbem, et docerent omnes gentes; tum ut testimonium ipsi redderent *Act. I. 8.* in Jerusalem, et in omni Judaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae. Quibus sane verbis Gentibus omnibus praedicatum esse Evangelium, et toto terrarum orbe diffusam esse Christi Ecclesiam intelligimus. Nam et Paullus testis locupletissimus est *ad Rom. X. 16.* In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum, et alibi: fides vestra, inquit, annunciat in universo mundo. Et si forte gens aliqua sit, cui praedicatum non fuerit Evangelium, profecto ante mundi finem illius praedicationem auditura est. Non igitur ut humanae Respublicae. aut haeticorum conventicula, unius regni finibus,

lis, concedo id libenter, quum innumera supersint monumenta, quibus res adprime confirmatur. Haud tamen Claris. Viro adsentior, quod ideo Catholicae adpellatae sint, ut *domesticis oratoriis* opponerentur; sed certe, ut sentio, ob Baptismi fontem, qui olim in solis cathedralibus, deinde vero institutis paroeciis, in iisdem obtinuit, sic ut solae Baptismales Ecclesiae *Catholicae* dicerentur, ob praecipuum communicationis vinculum, quod erat Baptismus.

aut uno hominum genere Ecclesia continetur, sed omnes homines caritatis sinu complectitur, sive barbari sint, sive Scythae, sive servi, sive liberi, ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione.

II. Sed non locorum ratione tantum *Catholica* dicitur Ecclesia, sed etiam temporum. Nam fideles omnes, qui ab Adam in hanc usque aetatem fuerunt, et in Coelum praemissi sunt, tum et omnes, qui in vera fidei professione et Christiana unitate vel nunc sunt, vel erunt, usque ad mundi consummationem, ad eandem Ecclesiam pertinent.

III. Ad hanc nimirum Ecclesiam, in cuius sinu, et communione salus tantum patet. Vnde post Beatum Cyprianum, et Hieronymum clamat Gregorius Magnus *Moral. Lib. XXXV.* De agni hostia Dominus praecepit dicens *Exod. XII.* In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras. In una namque domo agnus comeditur, quia in una Catholica Ecclesia vera hostia redemptoris immolatur. De cuius carnibus Divina lex afferri foras prohibet, quia dari sanctum canibus vetat. Sola est, in qua opus bonum fructuose peragitur: unde et mercedem denarii, non nisi qui intra vineam laboraverant, acceperunt. Sola est quae intra se positos valida caritatis com-
page

custodit , unde et aqua diluvii Arcam quidem ad sublimiora sustulit , omnes autem quos extra Arcam invenit , extinxit. »

SCHOLION I. Haud equidem ignoro , Ecclesiam propter grassantes ubique haereses , vel internas discordias , vel principum , populorumque flagitia in angustias se vidisse aliquando coniectam ; sed procellis , et tempestatibus Petri navim agitandam esse Christus Dominus noster aperte significavit *Matth.* VIII. 24. quae tamen non diu durarunt. Christus enim qui quasi dormire tunc videbatur , brevi expergefactus imperavit ventis , et facta est tranquillitas. Et si quod detrimentum aliquando passa est , profecto habuit unde illud resarcire. Ecquis enim ignorat , quantam cladem Lutherani , Calvinianique patrum nostrorum aetate Ecclesiae intulerint? sed abunde illa in novi orbis acquisitione fuit reparata, ubi rapidissimo cursu Religio propagata est, et longe in dies extenditur.

Quid quod ex ipsis Ecclesiae violentis calamitatibus adprime patet , eam nonnisi superna virtute conservari potuisse. Tot enim fremebundis ventis , turbinibusque , totque saevis nimbis et tempestatibus undique iactata , concidisset demum , si humanis tantum praesidijs fuisset innixa. Sustinuit utique Iudaeorum furorem impetumque , eosque suis expul-

sos sedibus vidit , totoque orbe dispersos. Sustinuit saecularis potentiae arma , et Reges , et Principes in suam ruinam iamdudum conspirantes , eosque mox iugo suo submittere vidit colla. Sustinuit haereticos aperta rebellionem ab inferi faucibus egressos , quos tandem prostratos vidit. Fidelis Deus in suis promissionibus , qui nobiscum esse usque ad consummationem saeculi spondit , ut incassum portae inferi adversus Ecclesiam streperent.

SCHOLION II. Hinc vides unam Ecclesiam Romanam veram esse Christi Ecclesiam ; quum apud universas gentes , Persas , Indos , Sineses , Japonitas , Siamenses , omnesque ferme Orientis provincias , nec non apud utriusque Americae populos , et potiores Europae partes , ac totum Occidentem diffusa sit , et vigeat adhuc , vel dominantis imperio , vel libero saltem exercitio. *Tenemus igitur (verbis utor Augustini) Ecclesiam ex ore Domini designatam , unde coeptura , et quousque perventura esset ; coeptura scilicet ab Jerusalem , et perventura in omnes gentes.*

SCHOLION III. Pseudoreformatorum autem Ecclesia , quum Catholica non sit , vera Christi Ecclesia esse nequit. Non enim semper fuit , quum sectarii ante exortas haereses nonnisi cum Romana Ecclesia communicaverint. Nec

ubique est, ne coniunctim quidem, nam Angli a Calvinianis; Calviniani a Lutheranis; Lutherani ab Anabaptistis; Anabaptistae a Zuin-
glianis communionem separantur.

S E C T I O IV.

Ecclesia Christi est Apostolica.

I. **A**POSTOLICA demum dicitur Ecclesia, quod a Christo per Apostolos fundata sit, et propagata; quod eius doctrina non sit recens orta, sed ab Apostolis iam olim tradita, et perpetua traditione ad nos transmissa, et quod numquam in ea interrupta sit Episcoporum series, qui Apostolis successerunt; quum Christus nonnisi Episcopis Ecclesiae suae gubernacula usque ad finem saeculorum crediderit.

II. Id quod antiquissimorum Patrum testimonio iuvat confirmare. Irenaeus *Lib. III. adv. Heres. Non oportet, inquit, adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, quum Apostoli, quasi in depositarium dives, plenissime in eam conpulerint omnia quae sunt veritatis; ut omnis quicumque velit,umat ex ea potum vitae. Haec est enim vitae introitus: omnes autem reliqui fures sunt, et latrones.* Hinc enumerari

posse inquit Ecclesiarum episcopos, eorumque successores, potissimum vero *Ecclesiae a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae*; ad quam Ecclesiam propter potiorem principatum necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles.

III. Insuper autem exscribendus hic esset aureus ille Tertulliani liber de praescriptione haereticorum, sed paucis erimus contenti. *Apostoli (inquit cap. XX.) primo per Judaeam contestata fide in Jesum Christum, et Ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti eandem doctrinam eiusdem fidei Nationibus promulgaverunt, et proinde Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei, et semina doctrinae ceterae exinde Ecclesiae mutuatae sunt, et quotidie mutuantur, ut Ecclesiae fiant. Ac per hoc et ipsae Apostolicae deputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur oportet. Itaque tot ac tantae Ecclesiae, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primae et Apostolicae, dum una omnes probant unitatem; dum est illis communicatio pacis, et appellatio fraternitatis, et contesseratio hospitalitatis. Quae iura non alia ratio regit, quam eiusdem Sacramenti una traditio,*

IV. Mox et haereticos compellat cap. XXXII.

Edant origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem, et antecessorem. Sicut Smyrnaeorum Ecclesia Polycarpum a Joanne conlocatum refert: Sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum. Acrius autem eos urget cap. XXXVI. Age iam percurrere Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsae adhuc Cathedrae Apostolorum suis locis praesident. Proxima est tibi Achaia? habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiae adiaces, habes Romam. Ista quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.

V. Vnde demum Ecclesiae nomine in Haereticos irrupit cap. XXXVII. *Qui estis? quando, et unde venistis? quid in meo agitis non mei? mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res: ego sum heres Apostolorum, sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adiuraverunt, ita teneo: vos certe exheredaverunt semper,*

et abdicaverunt, ut extraneos, ut inimicos. Ergo ut concludam, ibi est Apostolica Ecclesia, ubi est Apostolorum doctrina; ibi doctrina Apostolorum est, ubi est legitima Episcoporum successio ab Apostolicis temporibus ad nostra usque: Quae successio ubi non est, ibi non est Ecclesia Christi, sed Satanae synagoga.

SCHOLION I. Ecclesia Romana vera Christi Ecclesia est, siquidem *Apostolica*, tum quoad doctrinam, quae una eademque est ab Apostolis tradita, ac quae primis quingentis annis obtinuit, quo tempore Ecclesiam *Apostolicam* fuisse ipsi adversarii fatentur; tum ob numquam interruptam in Petri cathedra successionem Pastorum; tum ob legitimam missionem. Nam constat Christum, a quo Ecclesia Novi Testamenti coepit, duodecim Apostolos tantum elegisse Episcopos, et Sacerdotes, et eis commisisse omnem auctoritatem pascendi, et gubernandi Ecclesiam; Apostolos autem postea elegisse atque ordinasse alios Episcopos, eisque parem tradidisse potestatem alios deinceps ordinandi; et hinc est, quod Paullus; qui extra ordinem Apostolus a Christo post ascensionem in coelum factus est, non fuisset agnitus in Ecclesia, nisi prius ipsa in Ecclesia baptizatus fuisset, et ab Apostolis dexteris accepisset, et ab illis esset ordinatus ut patet ex *Act. IX.* et *XIII.* et *ad Gal. I'*

SCHOLION II. Hunc autem characterem protestantium Ecclesia non habet, proinde vera Christi Ecclesia non est. Nimirum Apostolica dici nequit, neque ob doctrinam, quae Apostolorum non est, teste ipso Calvino, qui se ab antiquitate in multis dissentire adfirmat, de qua re videsis Bellarminum *Lib IV. de notis Eccles. cap. IX.* Neque ob successionem praeterea, neque ob missionem; quum enim eorum primipili in Ecclesia Catholica orti sint, a qua postea defecerunt, vel ab illis lineam Episcoporum in suis sectis ducunt, et tunc certe eorum Ecclesia dici non potest origine *Apostolica*; vel ad pastores Catholicae Ecclesiae confugiant, ut lineam usque ad Apostolos trahant, et tunc concedant oportet, nostram Ecclesiam esse *Apostolicam*, proindeque se ab ea separasse. Quid quod si ordinare, et mittere pastores, ad solos episcopos pertinet, dicant Calviniani Episcopi a quo missi sint? an a Calvino, qui primus pseudoreformator fuit? sed Calvinus ne sacerdos quidem fuit, immo iactat suas manus non fuisse oleo ordinationis contaminatas. Si igitur Calvinus missionem non habuit, quomodo illam habent qui ab illo descendunt? Si missionem non habent, quomodo eorum communio Apostolica dicetur?

DISSERTATIO IV.

DE PRIMATU

ROMANI PONTIFICIS.

Monarchici regiminis rationem, quae summi Divinique Imperii imago est, et exemplar, maximeque Vnitati exprimendae adcommodata, Christum Dominum in Ecclesia, quam sanguine suo adquisivit, regunda, administrandaque proposuisse, nemo inficiabitur, modo principatum in omnem Ecclesiam Petro conlatum ab ipso Auctore Ecclesiae Christo fatebitur. In hunc quanto furore per omnes ferme aetates Heterodoxi conspirantibus animis debacchati fuerint, vix credibile est dictu, quippe senserunt, Petri, proindeque Romani Pontificis principatu veluti fundamento conlapso, omnem item aedificii molem, sive totius Ecclesiae auctoritatem ruituram. Quorum autem alii aliam pugnandi viam iniere. Quidam enim aequales iuter se Apostolos obtenderunt, quum

omnes unum idemque habuissent ducem doctoremque , ac magistrum , cuius erant discipuli , et sectatores , ut ex recentioribus praeter ceteros Salmasius , tametsi vir immensae eruditionis , in dissertatione de Episcopis et Presbyteris. Alii vero Petrum Apostolici collegii principem noscunt , dignitate tantum et honore , non autem auctoritate et iurisdictione , ut Samueli Basnagio placuit in Annalibus Politico Ecclesiasticis ad an. Christi XXI. Quidam vero vel Petrum numquam fuisse Romae contendunt ; ut Salmasius in adparatu ad librum de primatu Papae , vel ibi tamquam Episcopum non sedisse , ut Calvinus *Lib. IV. institutionum Christianae Religionis* ; tametsi iste in Lutheri sententiam mox dicessisse videatur , qui in Libro de Potestate Papae Pontificem Romanum Petro in Episcopatu Romano tantum successisse contendit , non vero in primatu universalis Ecclesiae. Demum non defuere qui Primatum Petri frustra se convellerati , non divino eum , sed humano prorsus iure constitutum dixerunt. Adversus tam multas circumlatrantium hostium insanias , veluti triplici morbo , triplici occurrentes medicina , haec adprime praestabimus. I. Principatum in universam Ecclesiam fuisse a Christo institutum , et Petro conlatum. II. Petrum et Romae fuisse , et Romae , usque ad sanguinem

pro Christo datum , Episcopum sedisse. III. Romanum Pontificem Petro successisse , atque Principem , et caput totius esse Ecclesiae.

CAPUT I.

*Petrus Apostolus Princeps Vni-
versae Ecclesiae a Christo
Domino datus.*

I. **D**Vo patent Christi Domini luculentissima testimonia , quorum uno promittitur , altero exhibetur Petro primatus. Alterum est *Matth. XVI.* quum Petro Christi Divinitatem confitenti Dominus dixerit : *Tu es Petrus , et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claves Regni coelorum , et quodcumque ligaveris super terram , erit ligatum et in Coelis , et quodcumque solveris super terram , erit solutum et in Coelis.* Alterum est *Joan. XXI. 15.* quo Christus a mortuis resurgens , antequam ad Patrem abiret , obligatam Petro fidem de eius supra ceteros Apostolos principatu , liberavit. Quum enim triplici vice Petrum seorsum ab omnibus interrogasset : *Simon Joannis diligis me plus*

his ? iterum iterumque autem Petrus respondisset : Domine , tu scis quia amo te , ter Christus subiecit : Pasce agnos meos . . pasce oves meas .

II. Neque vero ambigendum est , quin utrumque testimonium Petri Primatum adprime spectet. *Petra* enim , seu fundamentum , dicitur Petrus , cui superstructa est Ecclesia ; fundamentum autem id in aedificio est , quod regit in Civitate , et in corpore caput. Porro *Claves* Petro promissae non nisi et Ecclesiae praefecturam indicant. Nam *clavis David* pro principatu saepe in Scripturis legitur , ut *Isaiae XXII.* et *Apoc. III.* nec ullus ignorat , *claves* symbolum esse domini , ac principatus , non Hebraeis tantum , sed nobis praeterea , apud quos traditione clavium Regni , ipsum regnandi imperium traditum intelligitur. Sed nec minus expressa sunt illa verba. *Pasce agnos meos , pasce oves meas* , quibus pastorale regimen Petro datum aperte docemur. *Pascere* enim in Sacris Libris , et apud profanos etiam Scriptores passim est *regere* ; unde *Matth. II.* οστις ποιμανει τον λαον μου του Ισραηλ , qui *REGAT* *populum meum Israel* (1).

(1) Saepe Homerus Agamemnonem totius Graeciae exercitus ducem vocat ποιμενα λαων pastorem populorum.

Porro non agnos solum, sive fideles Christus Petro commisit, sed oves etiam, sive Pastores ipsos, per quos Christo filii gignuntur (2). Et quamvis ius dominici gregis pascendi omnibus episcopis datum sit, ut Sancti Patres Basilius, Ambrosius, Augustinus docent, id tamen cum hierarchica subordinatione intelligendum est, ne unitas Ecclesiae foedo schismate scindatur. Vide Bernardus ad Eugenium

(2) De hac explicatione nihil suboluisse antiquis doctoribus conueniatur Salmasius *Lib. de Primatu Papae*, et Febronius. *Lib. de Statu Eccl.* Nimirum non argumentis, sed manifestis mendaciis pugnant. Habent enim Ambrosium *Lib. X. in Luc. cap. XXIV. Jam non agnos, ut primo, quodam lacte pascendos, nec oviculas ut secundo, sed oves pascere iubetur, perfectiores ut perfectior gubernaret.* Habent et S. Brunonem Astensem, Bernardo coevum *Serm. de Nat. Ss. Apostolor. Petr. et Paulli*, qui Eusebii Emisseni nomine circumfertur: *prius agnos, deinde oves commisit ei, quia non solum pastorem, sed pastorum pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves; pascit filios, pascit et matres; regit et subditos, et praelatos. Omnium igitur pastor est quia praeter agnos et oves, in Ecclesia nihil est.* Ita et S. Bernardus; nec desunt alii antiquiores. Sed haec satis sunt, ut Salmasium, et Febronium falsitatis et calumniae reos redarguant.

Pontificem *Lib. II. de Consider. Habent illi assignatos greges singulos, tibi universi crediti, uni unus; nec modo ovium; sed et pastorum, tu unus omnium Pastor.*

III. Sed adhuc utrumque testimonium paullo accuratius expendere praestat, ne ulla praesertim Salmasio cavillandi pateat via. Quoad primum autem: *Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo, Ecclesiam meam*, nonnisi ad Petrum referri posse, perspicuum videtur. Quod enim Latinis et Graecis est *Petra*, id Haebraeis, et Syris propter linguae inter se viciniam *Cepha* nuncupatur. Unde quum Christus Petro dixerit: *Tu es cepha, et super hoc cepha aedificabo Ecclesiam meam*, idem est ac latine: *Tu es Petra, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*. Ex quo vides *tu es super hanc petram* omnino referri ad illud *tu es Petra* (3).

(3) Praeclare vero universa difficultas ex *Joan. I. 42.* exsufflatur, ubi: *tu es Simon filius Iona; tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus; quo loco tu vocaberis idem est ac eris, nam innumera in Scripturis patent exempla, in quibus vocare tantumdem sonat ac esse. Hinc Isai. IX. 6. vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis; nimirum erit nomen eius ceterum.*

Quod autem Graecus Latinusque interpres *Petrum* reddiderit, non vero *Petram*, id nulum facessit negotium; nam fortasse, quia de Viro sermo erat, masculine loqui maluit, ut opportune monet Cornelius Jansenius Episcopus Iprensis (4).

IV. Porro ad *Petrum* Dominica verba referri, ex eo amplius patet, quod praemii loco dicta sunt illi, qui Christi Divinitatem confessus fuerat. Vnde Hieronymus in *Matth. Mercedem recepit vera confessio*. Et S. Leo (*Serm. III. in Anniv. adsump. suae*). *Sicut Pater meus tibi manifestavit Divinitatem meam, ita et ego tibi notam facio excellentiam tuam*. Piget autem me Salmasii, qui ut

(4) Id quod Samuel Basnagius, tametsi ex Protestantibus, multa eruditione evincit *Annal. Polit. Eccl. tom. I.* concluditque: *quum significando lapidi bina sunt Graecis vocabula, πέτρα, et πέτρος, illud femininum, hoc masculinum, decentiae magis consentaneum fuit, masculino potius Simonem donari, quam feminino*. Quid autem voce πέτρος saxum, lapis, terra significatur, adprime ex Homero constat *Iliad. VIII. vers. 270.* et *XVI. 734.* et *XX. 288.* de qua re adeatur Cl. Henricus Stephanus *Thesaur. Ling. Graec.* nec non Gherard. Joannes Vossius in *Etymolog.* voce *Petra*. Id quod Salmasius vel non intellexerat, vel per impudentiam negabat.

pessimam tueatur causam nihil nisi ineptum,
 et hariolo prorsus dignum adferre mavult. Quid
 enim eo ineptius quod Christus in illa oratio-
 ne semetipsum designarit, non vero Petrum?
 Quid ea periocha vel implicatius, vel stultius:
Beatus es o Simon: ego autem dico tibi, quia
tu es Petrus Apostolus: super me aedificabo
Ecclesiam: tibi dabo claves Regni coelorum;
 o rem deformem, ac ferme monstrossimam!
 Quid quod si ad Christum referretur *Petra*
 illa, iam non dixisset, *aedificabo Ecclesiam*
meam, sed *aedifico*: nam in seipso Christus
 aedificaverat Apostolos, et discipulos multos.

V. Sed turbas hęc ciet Isaacus Casaubonus.
 Audiamus hominem in Exercitatione XIII. ad
 Annales Baronii; *Si Simon est Petra, quo-*
modo Christus est Petra, et si primum
Ecclesiae fundamentum Petrus censi debet,
habemus ut duas Petras, sic duos Christos.
 Heus! resiste parumper Calviniane, non enim
 hic ariolandi locus. Et *petra et Fundamentum*
Christus est, et Petrus est: sed Christus pri-
marium, invisibile, essenziale, Petrus vero
secundarium, visibile, et ministeriale, qua-
tenus vicaria Christi potestate fungens ceteris
Apostolis eminebat. Vnde Augustinus Tract.
CXXIV. in Joan. Petra erat Christus, su-
per quod fundamentum etiam ipse aedifica-
tus est Petrus. Et S. Leo: Ego fundamen-
tum, praeter quod nemo potest aliud pone-

re: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. Et Basilius *Hom. XXVIII. de Poen.* Christus vere est immobilis petra, Petrus vero propter petram. Dignitates namque suas Jesus largitur aliis; largitur autem eas, nec illis spoliatur: Petra est, et Petrum facit (5).

VI. Jam vero quae hactenus commentatus sum, etsi satis firma, firmiora tamen mox, totius Ecclesiae consensu, Patrumque tum Graecorum, tum Latinorum auctoritate faciam. Origines *Hom. V. in Exod.* Petrum adpellat magnum Ecclesiae fundamentum, et petram solidissimam, super quam Christus fundavit Ecclesiam. Collineat S. Cyprianus *Epist. LXXI.* Petrus quem primum Dominus elegit, et super quem aedificavit Ecclesiam. Et S. Jo: Chrysostomus *Hom. LV. in Matth.* Tu es Petrus, et ego super te aedificabo Ecclesiam meam. Quibuscum concinunt Basilius, Hieronymus, Augustinus in locis iam supra adductis, quin et Nazianzenus *Orat. XXVI.* Epiphanius in *Ancorat.* Sed non mihi diutius in

(5) Non inficior ceteros Apostolos posse etiam dici fundamenta Ecclesiae, sed post Petram, quem admodum Petrus post Christum; ut enim in aedificio, ita et in Ecclesia est quaedam series fundamentorum.

Patribus commemorandis haerendum est, quum totum Chalcedonense Concilium Patribus sexcentis et triginta constans, *Act. III.* Petrum vocat *Petram*, et *crepidinem Ecclesiae Catholicae*, et ipsa Ecclesia in hymno Ambrosiano id calculo suo confirmat.

*Hoc, ipsa petra Ecclesiae
Canente, culpam diluit.*

VII. His animadversis, dispiciamus nunc et alterum comma eiusdem Dominici effati; *et tibi dabo claves regni coelorum*, quarum potestatem in sola Divini Verbi praedicatione sitam contendit Calvinus *Lib. III. Instit.* sed ut constantem Hebraeorum morem taceam, apud quos *clavibus* principatus denotabatur, non attendit Calvinus quae continuo Dominus addidit: *quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis* cet. Si Petro igitur creditis clavibus, potestas ipsa quodcumque ligandi, quodcumque solvendi credita est, nimirum remittendi, iubendi, dispensandi, vetandi, puniendi, obligandi, cuinam dubium, Judicem, ac Principem in omnem Ecclesiam fuisse illum tum a Christo institutum?

VIII. Nec vero fucum nobis in eo faciant perversi homines, quod aliis etiam Apostolis eadem facta potestas *Matth. XVIII. Quaecumque adligaveritis super terram, erunt ligata, et in Coelo, et quaecumque solveritis*

super terram erant soluta et in Coelo. Nam ut S. Thomas inquit (in IV. sentent.) ut in hac potestate aliquis ordo significaretur ; primo soli Petro data est , ut ostendatur , quod ab eo in aliis debet ista potestas descendere. Id quod Thomas mutuatus est ex Cypriani libro de Vnit. Eccles. Quamvis Apostolis omnibus parem potestatem tribuat ; et dicat : sicut misit me pater , et ego mitto vos , accipite Spiritum Sanctum , si cui remisistis peccata , remittuntur illi , si cui retinueritis , tenebuntur ; tamen ut unitatem manifestaret , unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Cui similia habet Hieronymus Lib I. adv. Jovinianum.

IX. Primo autem Divino excusso testimonio , ad alterum properamus de potestate Dominici gregis pascendi Petro facta. Vtique vero in re tam clara nullo opus esset glossemate , si Lutherus , Buddeus , Salmasius erubissent , ut et Petro principatum contendere , ita et malos agere gramaticos. Lutherus enim , quem multa gregiarum turba sequitur *to pascere* non aliud hic significare iactat quam *docere* ; adeo nimirum se et antiquitatis inscium , et in Latio peregrinum se prodit , quum Reges , et Principes , et duces nunquam non *Pastores* hominum audierint. Utinam saltem Scripturas attendisset ! Nam

Jerem. XXIII. 2. Dicit Dominus Deus Israel ad PASTORES, qui PASCUNT populum meum: vos dispersistis gregem meum. . . . suscitabo super eos PASTORES et PASCENT eos. Et Ezechielis XXXIV. 23. Suscitabo super eas PASTOREM unum, qui PASCAT eas, servum meum David. Hinc Apostolus Christum dedisse Ecclesiae inquit praeter Apostolos, Prophetas, et Evangelistas, etiam ποιμνας, καὶ διδασκαλους pastores, et doctores, qui non adderet doctores, si pastorum esset docere tantum, non vero regere. Quid quod et pascere, et regere synonyma sunt, unde ποιμαίνω vetus interpres pro utroque usurpavit. Hinc in Ps. II. Reges eos in virga ferrea, et in Ps. XXII. Dominus regit me, et Matth. II. 6. Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.

X. Jamque animadverso quid sit pascere, dispiciamus parumper quae sint ovis Petro creditae, ne solos Judaeos hac voce intendi, non vero omnes ubique terrarum gentes arbitreris. Quam in rem aptissimus est Apostoli Pauli locus ad Hebr. XIII. 20. quo Christum Dominum ovium suarum, sive hominum quos redemit, magnum pastorem nuncupavit: *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti aeterni, Dominum nostrum Jesum Chri-*

stum aptet vos in omni bono. Si igitur oves Christi sunt quicumque illius vocem audiunt, eiusque Evangelio parent, iam non Judaeorum tantum, sed universi orbis homines, pro quibus omnibus bonus Pastor Christus animam suam, et sanguinem posuit, tamquam oves suas Petro pascendas, idest regendas commisit.

XI. Atque haec, quae ad huius specimen gustus protuli, satis superque sunt ut invicte persuadeamur, Petrum in universam Ecclesiam obtinuisse principatum. Sed et alia supersunt argumenta, quibus huc usque ventilata firmissime solidantur. Hoc enim facit quod ubi Apostoli in Evangelio recensentur, Petrus omnium primus nominetur. Unde *Matth. X. Duodecim Apostolorum nomina haec sunt; primus Simon, qui dicitur Petrus;* quod observare est apud *Marcum III. 16.* et *Lucam VI. 13.* Praeterea non raro seorsim a reliquis nominatur, tamquam eorum caput, ut *Marc. I. 36. Simon, et qui cum illo erant. Luc. VIII. 45. Petrus, et qui cum illo erant.* Et *Act. II. 14. Stans Petrus cum undecim.* Demum quando de electione alterius in locum Judae proditoris actum est, Petrus veluti omnium Princeps inducitur: *Exurgens Petrus in medio fratrum;* nec nisi is, quid factu opus esset, et quomodo intelligendae essent Scripturae, declaravit Quid

quod *Act. XV. 7.* in celebri illo Apostolorum Concilio de legalium observantia, *quum magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit* primus omnium sententiam, cui omnes alii unanimi suffragio postea adhaeserunt (6).

XII. Postremo usque adhuc dictis pondus maximum ex constanti Patrum traditione accedit, qui in Petro divinitus concessum in universam Ecclesiam primatum agnoscunt. Actum agerem tamen, si quas Patrum auctoritates Bellarminus congessit *Lib. I. de Rom. Pont.* huc transferre adlaborarem. Satis est audire omnium instar Leonem Magnum (*Serm. de sua ad Pontific. adsump.*) *De toto mundo unus eligitur Petrus, qui universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiae Patribus praeponatur; ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint,*

(6) Neque vero dices, Petrum aliis Apostolis praelatum ordine solum, quod ceteris sive aetate, sive vocatione antiquior. Nam quoad vocationem spectat, Andream prius accessisse ad Christum, quam Petrum ex Evangelio Joannis constat I. 40. Uter autem eorum maior fuerit aetate, in tanto Scripturarum silentio, nullus coniecturae locus patet. Quod et ipse Basnagius non ultimi nominis inter adversarios nostros ingenue fatetur.

multique pastores , omnes tamen proprie regat Petrus , quos principaliter regit et Christus.

E X C U R S U S

Apostolus Paullus an Petro aequalis fuerit ?

Pessimam causam ubi olfecerunt heterodoxi , saltem Paullum Petro aequalem ostentare adnisi sunt , ut ita Petri Principatum submoverent. Sed ex fallaciarum conglobatione veritas non tantum non offuscatur , sed magis renitet. Profecto Calvinus primus Instit. *Christ. Relig. Lib. IV. cap. VI.* Petrum et Paullum tamquam duo esse Ecclesiae capita contendit , Judaeis alterum , alterum Gentibus destinatum. Nec absimilem ludum mihi lusisse videntur Arnaldus *Lib. de freq. commun.* qui ex utroque capite unum effinxit , et Anonymi auctores duorum libellorum , qui in Gallia an. MDCXLV. prodierunt ; alter *de auctoritate Ss. Petri et Paulli , quae residet in Pontifice successore utriusque Apostoli ;* alter *de magnitudine Ecclesiae Romanae , innixa auctoritati Ss. Petri et Paulli.* Sed videamus aliquantisper quae momenta isti nobis obtrudant. In primis vero ut Calvino occurramus , satis notum est Paulli testimonium

*ad Galath. II. 7. Creditum est mihi Evangelium praeputii; sicut et Petro circumcisionis; sed non nisi dementissimus ex illo erueret, summam potestatem inter utrumque divisam, ut alter in Gentibus, alter vero in Judaeis principatum obtineret. Nam aperte Paullus de Evangelii ministerio loquitur. Quam enim Apostoli omnes ius praedicandi gentibus universis a Christo Domino accepissent, nec porro omnes universum simul orbem possent peragraré, Provincias sortiti sunt, et aliis alio obeuntibus, Petrus Judaeos, Paullus Gentiles in fide instituendos divino nutu susceperunt. Unde quod Petrus Judaeorum, Paullus Gentium Apostolus dicatur, id non iurisdictionis distributione intelligendum, sed Provinciarum, et sortis. Quamobrem plerumque etiam factum fuit, ut Petrus se electum ad praedicandum Gentibus diceret *Act. XV. 7. Vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Evangelii, et credere.* Et Paullus contra ut Nomen Domini annuntiaret non solum gentibus, et Regibus, sed et filiis Israel. Atque huc etiam pertinent tot illi labores Evangelici, et sollicitudo omnium Ecclesiarum, quam se habere profitetur Apóstolus, quibus verbis non primatum, veluti sibi cum Petro communem, sed partes Apostolici ministerii*

designavit; quae omnium erant, Apostolatui ipsi adnexae, non exclusae subordinatione ad Petrum omnium Principem. Id quod factum ipsum Paulli abunde confirmat, qui *ne in vacuum curreret, aut cucurrisset* (nimirum ut unitatem servaret, ne scissionem foveret, ne sine legitima missione diversum nunciare Evangelium videretur) necessarium duxit Petrum videre et cum eo Evangelium, quod a Christo didicerat, conferre. Vnde Chrysostomus in *Cap. I. Ep. ad Gal. quum nihil opus haberet Petro, nec illius egeret voce, sed honore* (Apostolatus) *par esset illi, tamen ascendit velut ad maiorem* (primatu). Duo enim prae ceteris Apostolis habuit Petrus. I. Ut omnes cum eo tanquam primo, tanquam centro communionis, tanquam principio unitatis communionem retinere deberent. II. Ut causas communes ad universalis Ecclesiae disciplinam pertinentes Apostoli ad eum; tanquam ad Collegii Principem; discutiendas referre tenerentur. Haud autem ignoro, ab antiquis Patribus non Petrum tantum, sed et Paullum Romanae Ecclesiae Episcopum nuncupatum, ut ab Epiphanio (*Haer. XXVII.*) *Romae primi omnium Petrus, et Paullus Apostoli pariter, et Episcopi fuerunt*, et ante ipsum ab Irenaeo (*Lib. III. adv. haer.*) *Eccl. sicut Romana a Ss. Apostolis Petro et*

Paullo instituta, ac fundata; quibus accedunt Gregorius Magnus (Lib. I. Dial. cap. XII.) Ambrosius (Serm. I.) et Maximus Taurinensis (Serm. V. in Fest. Apostol.). Sed quum in Episcopatu et munus docendi, et auctoritas regendi spectanda sit, profecto Paulus Romae episcopus quoad doctrinae veritatem, non quoad regendi auctoritatem salutatur; quid quod Paullus merito Romae Episcopus cum Petro dicitur, quod Romanam Ecclesiam, quae reliquarum caput erat, conjunctis laboribus plantarunt, et excoluerunt; ac demum proprio sanguine consecrarunt. Id quod primum est colligere ex ipsis Maximi Taurinensis verbis loc. cit. Ergo Petrus, et Paulus eminent in universos Apostolos, et peculiari quadam praerogativa praecellunt. Verum inter ipsos quis cui praeponatur, incertum est: puto illos aequales esse meritis, quia aequales sunt passione, et simili eos fidei devotione vixisse, quos simul videmus ad gloriam martyrii pervenisse. Vides hinc aequalitatem utriusque Apostoli praedicari in meritis, et martyrio, salvo tamen Petri Principatu. Qui enim in primatu Petrum, et Paulum consortes dicamus, si iam erat supra Petram aedificata Ecclesia, quum Paullus Petrum adiit; iam claves promissae, iam confirmandi fratres cura Petro mandata? Sa-

ne Paullus nomen illi Ecclesiae dedit, quae super Petram constituta; clavium particeps fuit, quarum potestas integra iam Petro facta; inter fratres numeratus est sub eo, cui cura confirmandi fratres commissa. Num vero in fundanda Romana Ecclesia parem cum Petro partem sortitus fuerit Paullus? Apage. Jam Petrus Evodio Antiochiae relicto Romae fundaverat Ecclesiam; iam Romanorum fides adnuntiabatur universo mundo, antequam Paullus Romam adiret; id quod testatur Paullus ipse *Ep. ad Rom. cap. I.*

Quod autem Paullus una cum Petro in Pontificiis diplomatis apponatur, id adversarios non iuvat; par enim aequumque visum fuit Ecclesiae Romanae, ut qui illam simul plantarunt (quam enim ex Judaeis primum conflaverat Petrus, Paullus ex gentilibus auxit, amplificavitque) simul docuerunt, simulque sanguine illustrarunt, simul etiam iuncti conspicerentur. Ex quo non aequalitas principatus arguitur, sed Apostolatus. Quid vero obtundunt ex eo, quod Paullus in vetustissimis imaginibus aereis, vitreis, marmoreis, éburneis, vel etiam aut pictura, aut musivo opere elaboratis plerumque dextrum occupet locum, Petrus laevum? Profecto si quid inde concludendum, illud adprime sequeretur, Paillum non modo aequalem Petro, sed et illo maiorem extitisse, quod ecquis sanus un-

rio factum sit, sed ex caritate, et veritate; et religionis zelo. Vnde Cyprianus, qui in Petro reprehenso primatum agnovit *Epist. LXXI. ad Quinctum*: *Non vindicavit, inquit, sibi aliquid insolenter, aut adroganter adsumsit, ut diceret se Primatum tenere, et obtemperari a novellis, et posteris sibi potius oportere, nec despexit Paullum.* Et Augustinus *Ep. LXXXII. ad Hieron.* *Ipsæ vero Petrus, quod in Paulo fiebat utiliter libertate caritatis, sanctæ ac benignæ humilitatis pietate accepit. Est laus itaque iustæ libertatis in Paulo, et sanctæ humilitatis in Petro.* Ex quo nimirum non aliud edocemur, quam quod etiam Praelati a subditis publice arguendi sint, ubi periculum imminet fidei; nam *Paullus* (verba sunt Sancti Thomæ II. 2. *quaest. XXXIII. art. 4.*) *qui erat subditus Petro, propter imminens periculum scandali circa fidem, Petrum publice arguit.*

CAPUT II.

*Petrum Romæ fuisse, ibique
Episcopum sedisse, evincitur.*

I. **P**etri in universam Ecclesiam vindicato Principatu, de Romano illius Episcopatu nunc dicendum, ut quis tantæ dignitatis heres fuerit tandem noscamus. Tametsi vero Ecclesia

universa semper credidisset Sanctum Petrum Romae fuisse, ibique episcopum sediisse, et ibi demum martyrio coronatum, rem tamen longo saeculorum consensu firmatam, heterodoxi, et hac ipsa aetate increduli; ne quid in Romanam Ecclesiam intentatum relinquerent, in dubitationem adduxerunt.

II. Attamen vero quod bonum, felix, faustumque est Ecclesiae Romanae, nihil est in historiis tanta monumentorum ubertate confirmatum, quam Sanctum Petrum Romae fuisse. Testatur id Sanctus Clemens, Petri in Pontificatu Romano post Linum successor, S. Ignatius Martyr, et Papias Hieropolitanus (7), qui fuere Apostolis coevi. Accedunt Irenaeus, qui Polycarpi Apostolorum discipuli auditor fuit, Dionysius Corinthiorum Episcopus, non multis annis post Petri obitum clarus, Clemens Alexandrinus, Gaius Rom. Ecclesiae presbyter, et Tertullianus (8). An post tot idoneos testes, partim oculatos, res amplius aut probatione, aut confirmatio-

(7) S. Clemens *Ep. I. ad Corinth.* S. Ignatius *Ep. ad Rom.* Papias ap. Eusebium *Lib. II. Hist. Eccl. cap. XV.*

(8) Irenaeus *Lib. III. cap. I.* Dionys. ap. Euseb. *Hist. Eccl. Lib. II. cap. XXV.* Clem. Alexandr. *ibid. cap. XV.* Gaius *ibid. cap. XXV.* Tertullianus *de Praescript. cap. XXXVI.*

ne indigebit? Sed quid argumentationibus opus in re, quae ipso heterodoxorum ore est abunde contestata? Satis sit Samuelis Basnagii infensissimi Ecclesiae Romanae hostis testimonium, cuius haec sunt verba in *Annal. Eccl. polit. ad an. LXIV.* Neque enim ulla umquam fuit traditio, quae maiori testium numero cingatur, ut de Petri in urbem adventu dubitari non possit, quin omnia historiae convellantur fundamenta. Quod si et alterum non diversae furfuris desideres testem, en tibi Guillelmus Caveus (*Hist. Lit.*) qui ubi rem pluribus solidasset, concludit demum: *Certe si tam densa testium nubes, tam concors veterum sententia, pro cuiusvis ingenii pruritu sit vellicanda, actum erit penitus de primorum saeculorum memoria, nec cui cuiquam ultra suam aetatem sapere licebit.*

III. At porro extat hanc in rem haud obscurum Petri ipsius testimonium *Ep. I. Petr. cap. V. Salutat vos Ecclesia, quae est in Babylone collecta, et Marcus filius meus, ex quo in proclivi colligere licet, Romae scriptam eam epistolam fuisse, quum Roma Babylonis vocabulo saepe designetur in Scripturis, ut Apocal. XVII. 5. Babylon magna, mater fornicationis, quae super septem montes sedere dicitur, et super Reges septem regnum habere.*

Et ibid. XVIII. 10. *Vae, vae Civitas illa magna Babylon.* Vnde Augustinus *Lib. XVIII. de Civ. Dei cap. XXII. Conditā est Roma velut altera Babylon, et velut prioris filia Babylonis.* Et Tertullianus *Lib. adv. Judaeos cap. IX. Sic et Babylon apud Joannem nostrum Romanae urbis figuram portat, proinde et magnae, et Regno superbae, et Sanctorum debellatricis.*

IV. Apertissime vero Petrum Romae haec epistolam scripsisse Papias Apostolorum discipulus testatur apud Eusebium *Hist. Eccl. Lib. II. cap. XV. Papias etiam dicit, quod Petrus in prima epistola sua, quam de Vrbe Roma scripsit, meminerit Marci, in qua tropice Romam Babylona nominavit.* Cui suffragatur et Eusebius ipse, et Hieronymus *Lib. de Script. Eccl. Petrus in epistola prima sub nomine Babylonis, figuraliter Romam significans, salutatur, inquit, vos Ecclesia, quae est in Babylone collecta* (9). Scio autem haec bilem

(9) Quod ipsum, et clausula illa subsequens: *et Marcus filius meus*, non parum confirmat. Nam gravissimi quique veterum Scriptorum constanter adfirmant, Marcum Romae scripsisse Evangelium iuxta ea quae ibidem Petro praedicante exceperat, ut Eusebius *Hist. Eccl. Lib. II, cap. XV. Papias,*

Salmasio, Veleno, et heterodoxis pene omnibus concitasse, unde et novas calumnias excogitandi, novasque fabulas obtrudendi ansam adripuere (10). Sed ludunt fortasse perversi homines. Quaeso enim, cur tam frequenter Romam veluti alteram *Babylonem* vellicant? Nonne et Lutherus eo consilio librum de Captivitate Babylonica conscripsit? Nonne et Magdeburgenses in suis Centuriis Apocalypsim ideo recipiunt inter libros Canonicos, quod multa ibi adver-

Clemens Alex. Irenaeus, et Hieronymus. Ex quo factum, ut ipsum Marci Evangelium Petro tribueretur, eo quod Marcus Petri interpres, et discipulus fuerit; sicut Evangelium Lucae tribuitur Paulo.

(10) Petri enim verba vel de Babylone Assyriorum, vel Aegyptiorum intelligenda contendunt; qua in re nihil nisi animum odio mancipatum praeferunt. Petrus enim epistolam sub Claudii imperio scripsit; constat autem Claudii aetate, Judaeos, qui Babylone, et apud Assyrios degebant, fuisse omnes ad unum expulsos, ac internecone deletos, ut testatur Josephus *Antiq. Judaic. Lib. XVI. cap. XII*. Vnde nulla erat Ecclesia eo tempore in Babylone Assyriorum collecta. Nec vero nisi vere insanus collectam diceret Ecclesiam in Babylone Aegyptiorum, quae non nisi ignobilis vicus erat, nec civitatis, nec oppidi nomine dignus.

sus Romam, Babylonis nomine congeruntur? Si igitur Roma est Babylon per ipsos; ecurrantopere indignantur, quod Petrum Romae scripsisse dicamus, dum Babylone scripsit? Potius indignentur, quod ex ipsis Protestantibus Clarissimus Grotius non tantum de hac re indignatus non sit, sed etiam rem calculo suo confirmaverit in *Ep. I. Petr. V. De Babylone dissident veteres, et novi interpretes. Veteres Romam interpretantur, ubi Petrum fuisse nemo verus Christianus dubitabit. Ego veteribus adsentior.*

V. Caussam at mutati nominis in promptu etiam habemus, eamque convincentem; quippe Petrus ex Hierosolymitano carcere profugus suae commorationis locum adhuc latere volebat, ut ita Christianis qui Romae degebant, consuleret. Quum enim ex hac epistola constaret, plerosque ex Romanis ad Christi fidem conversos, timebat Apostolus, ne ex ea, si forte in Gentilium manus incidisset, novae excitandae persecutionis daretur occasio; potissimum quum Claudius Imperator nimium Agrippae Judaeorum Regi studeret, qui nuper in vincula Petrum coniecerat, mox coram populo trucidandum. Vsus autem ea est figura Petrus, quod quemadmodum in vera Babylone Assyriorum sede Judaeorum gens sub Nabu-

chodonosore Rege et Captivitatem, et aerumnas plurimas passa est, ita in illa gentium domina sub Nerone Christianus populus saevissime adfligebatur (11).

VI. Praeterea vero antequam Paullus Romanam veniret, longe florentem Ecclesiam Romae fuisse ex ipso Apostoli testimonio constat in *Ep. ad Rom. Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo. Nolo autem vos ignorare fratres, quod saepe proposui venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc.* Nisi vero Petrus Romae fuerit, ecquis Romanos ad Christi fidem converterit? Sane scimus, idque a gravissimis testibus ipsius aevi Apostolici, Petrum primum omnium Romanis praedicasse, eaque in urbe Ecclesiam fundasse; an vero aliquis alius id fecerit, nec historiae docent, nec veterum monumenta, nec ipsa traditio.

VII. Nisi quod exsultare videtur Velenus in eo, de quo omnino erubescere debuerit, iam

(11) Ita Paullus II. *ad Timoth.* IV. inquit: *Et liberatus sum de ore LEONIS, quo nomine Neronem innoebat, teste Eusebio Hist. Eccl. Lib. II. cap. XXII: et Hieronymo Catal. Se.*

tum Tiberii aetate statim ex Christi morte coe-
 pisse Romae esse Christianos ; in cuius rei fi-
 dem non pudet et Suetonium advocare in *Vit.*
Tiber. et Tertullianum in *Apologet.* ut ita de-
 mum statuat non fuisse a Petro eam Eccle-
 siam fundatam , quippe Claudii aetate primum
 advenisse Romam traditur. O pessimum homi-
 nem , qui adeo mentitur ! Vbinam Suetonius
 in Vita Tiberii talia fatur , qualia Velenus som-
 niatur ? Sane Suetonius non nisi in *Vita Clau-*
dii Christianorum meminit , quo loco scribit,
 Judaeos Christo impulsore tumultuantes a Clau-
 dio fuisse Roma expulsos ; quibus verbis ma-
 xime nostra obfirmatur sententia de Petri in
 Urbem adventu sub Claudii imperio (12).

(12) Miror autem hic Salmasii adrogantiam , qui
 in *Adparat. ad lib. de Primatu* non sine magna
 pudoris iactura contendit, Petrum non venisse Ro-
 mam sub Claudio, quia Judaeis nec in urbe Ro-
 ma , nec in Italia licuit consistere. Quid ? Petrus
 Romam advenit anno II. Claudii , ut ex Hierony-
 mo constat *Lib. de Scr. Eccles.* tum ex Eusebio
 in *Chronic.* Adone Viennensi *Lib. de Fest. Ss.*
Apost. et Orosio *Lib. VII. hist. cap. VI.* Quam
 vero Judaei Roma pulsi fuerint anno Claudii IX.
 an non potuit Petrus sub Claudio Romam venire,
 licet Claudio ipso imperante , nimirum septennio

Nec minus se falsum praebet in Tertulliani auctoritate obtrudenda. Tertullianus enim in *Apologet.* tantum refert, Pilatum ex Palaestina scripsisse ad Tiberium de resurrectione Christi, et prodigiis ab eo patratiss, et quod a multis Deus credebatur. Tiberium autem retulisse ad Senatum, ut et Christus inter Deos Romanos referretur; porro Senatum renuisse, quod antea coepisset a populis Deus haberi, quam ad Senatum delata res esset. Ex quo certe invictissimum argumentum nobis suppetit, nullos Tiberii aetate fuisse Romae Christianos.

VIII. Profecto autem, ut ad alteram partem me convertam, longe callidior Calvinus videtur, qui ubi Petri adventum in Urbem incasum convelli animadverterit, nonnisi Romanum eius Episcopatum adtentare conatus est, *Et tamen* (inquit *Inst. Chr. Rel. Lib. IV. cap. VI.*) *propter hunc Scriptorum consensum non pugno, quin illic mortuus fuerit; sed episcopum fuisse, praesertim longo tempore, persuaderi nequeo.* Sed nisi deploratae mentis fuisset Calvinus, novam turbulento animo haud iniisset de hac re pugnam, quae lon-

post ab ipsius adventu in Urbem, iussus fuerit inde cum Judaeis exulare?

ge momentosis gravissimorum Scriptorum auctoritatibus, longeque certiori totius antiquitatis fidei innixa est.

IX. Jamvero possem huc Pontificum Romanorum Catalogos antiquissimos adducere, qui a Petro primo Romanae Ecclesiae Episcopo filium trahunt, potissimum autem Bucherianum, qui sub Pontiano anno plus minus CCXXX. conditus fertur; tum et alterum perantiquum, quem Henschenius, et Papebrochius ex Codice Bibliothecae Christinae Svecorum Reginae erutum ediderunt, quique anno DXXX. recentior non est, siquidem explicit in Felice IV. cuius dies emortualis eo incidit anno. Possem et Sanctos Patres omnes in caussae patrocinium adsciscere, qui in tendis Rom. Pontificum indicibus a Petro tamquam successionis capite telam ducunt, in primis vero Gaium antiquissimum Romanae Ecclesiae presbyterum, Irenaeum, Tertullianum, Eusebium, Optatum Milevitanum, Hieronymum, Epiphanium, Augustinum (13) sed

(13) Gaius ap. Euseb. *Hist. Eccl. Lib. V. cap. XXVIII.* Irenaeus *Lib. III. cap. III.* Tertullianus *de Praescript. cap. XXXII.* Eusebius *Lib. III. Hist. Eccl. cap. XXI. et Lib. IV. cap. I.* Opta-

equidem male feriatuſ arguerer , ſi in Calvinianis aranearum telis diſpergendis immorarer.

X. Romana enim Cathedra compellata ſemper eſt cathedra , et ſedes Petri ; et ipſa ſumma dignitas Romanae Eccleſiae non alia de cauſa omnium gentium conſenſu ſupra ceteras omnes eminuit , niſi quod Princeps Apoſtolorum Petruſ illius Eccleſiae propriuſ Paſtor et Epiſcopuſ fuit. Egrege Sanctuſ Cyprianuſ *Ep. LV. ad Cornel. Navigare audent ad Petri cathedram , atque ad Eccleſiam principalem , unde unitaſ Sacerdotaliſ exorta eſt.* Auguſtinuſ vero *Lib. II. contr. Lit. Petil. cap. LI. Cathedra tibi quid fecit Eccleſiae Romanae , in qua Petruſ ſedit , et in qua nunc Anaſthaſiuſ ſedet ?* Et Optatuſ Milevitanuſ *contr. Parmen. Negare non poteſ , ſcire te , in Vrbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam , in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput.* Et Hieronymuſ *Ep. XV. ad Damas. Cum ſucceſſore Piſcatoris , et diſcipulo cruciſ loquor . . Ego Beatitudini tuae , iſteſt Cathedrae Petri com-*

tus *Lib. II. contr. Parmen. Hieronym. de Viris Ill. cap. I. Epiphaniuſ Haer. VII. Auguſtinuſ Ep. LIII.*

munione consocior, quibuscum concinit S. Prosper in Carm. de ingratis.

*Sed Roma Petri, quae pastoralis
honoris*

*Facta caput mundi, quidquid non
possidet armis*

Relligione tenet.

XI. Porro demum in ea Cathedra martyrium subiisse Petrum, universa antiquitas testatur. Nos paucis in re testatissima erimus contenti. Primum damus Tertullianum in *Scorpiaco cap. XV. Vitas Caesarum legimus; orientem fidem Romae primus Nero cruentavit: tunc Petrus ab altero cingitur, quum Cruci adstringitur: tunc Paullus Civitatis Rom. consequitur nativitatem, quum illic martyrii renascitur generositate.* Ita et Eusebius, Lactantius, et S. Maximus Taurinensis (14),

(14) Habes et sexcentos alios, qui Petri martyrium memoraverint. Ita Linus P. *libris duobus ea de re scriptis.* Clemens Alex. passim. Hegesyppus *Lib. VII. de Urbis Hieros. excidio.* Dorotheus in *Synops. S. Hieronymus in Catal. Script. Eccl.* Orosius *Lib. VII. cap. VI.* Nicephorus *Lib. II. cap. XXXVI.* Lactantius *Lib. IV. Divin. Inst. cap. XXI.* Sulpitius *Lib. II. Sacr. Hist. S. Leo Magnus Serm. II. in Nat. Ss. Apost. Petr. et Paul.*

cuius postremi locus dignus est qui ob oculos habeatur *Hom: V. in Nat. Ss. Petri et Paul. Ap. Et in quo tandem loco martyrium pertulerunt? in urbe Roma, quae principatum, et caput obtinebat Nationum, scilicet ut ubi caput superstitionis erat, illic caput requiesceret sanctitatis; et ubi Gentilium Principes habitabant, illic Ecclesiarum principes morerentur.*

XII. Quod si Petrus in hoc Episcopatu non permanserit ad martyrium usque, sed alio sedem transtulerit, dicant Sectarii, ubi fuerit Petri cathedra postquam Antiochia excessit. Nam perpetuo Antiochiae fuisse Petrum, nec ipsi Antiocheni contendunt, et satis id probat Ecclesiae consuetudo, quae numquam Antiocheno Episcopo primum locum adtribuit; at neque ulla Ecclesia hactenus Petrum veluti episcopum suum vindicavit praeter Antiochenam, et Romanam; num ergo dicemus Petrum fuisse nullius loci Episcopum? sed hoc dicere ipsi adversarii recusant, quippe volunt Petrum non episcopum universalis Ecclesiae fuisse, sed alicuius tantum singularis, ut Jo-

saepissime vero Ambrosius, et Augustinus. Conferis et Michaelem Glycam *Hist. Byzant. Par. III.*

annes Ephesinae , et Jacobus Hierosolymitanae (15). Dicant igitur ubi fuerit Episcopus Petrus ? Vel si fuerit Romanae Ecclesiae Episcopus , et postea sedem mutaverit , quonam eam transtulerit ?

S E C T I O III.

*Romanus Pontifex Petri in Primatu
Ecclesiae Successor.*

I. **V**bi Petri in Vniversam Ecclesiam principatum , ipsa duce antiquitate , ac traditione vindicavimus , vel id unum reliquum erat , quo Romanus Pontifex supremæ dignitatis huiusce heres constaret , ut praevalidis argumentis pateret , Petrum Romanam Cathedram fundasse , in eaque primum omnium Episcopum sedisse. Quo fuucti labore , omni iam liberi essemus controversia , nisi Nilo Thessalonicensi Episcopo , tum et Luthero , ac Calvino

(15) Jacobus Apostolus hiccine fuerit qui Hierosol. Episcopatum obtinuerit , an alius disputant eruditi. Consulatur Mazochius in *Kalend. Ncap. Mens. Mai.*

os usque obstruere adhuc oporteret, successio-
nemque Romani Pontificis in omnia Petri iura,
tum in Cathedram, tum in Primatum firmis-
simis rationum momentis solidare.

II. Quam in rem testes veritatis Sanctos Pa-
tres tum Graecos, tum Latinos advocamus, qui-
bus Romanum Pontificem legitimum Petri he-
redem, ac successorem esse docemur. Horum
agmen S. Irenaeus ducat, fortis ille Christi
athleta in tota Ecclesia Orientali, et Occiden-
tali notissimus *Lib. III. adv. haeres. cap. III.*
Ad hanc Ecclesiam (de Romana loquitur) *pro-*
pter potentiolem principalitatem necesse est
omnem convenire Ecclesiam. Adhuc et expres-
sius fortasse Beatus Martyr Cyprianus in *Ep.*
IV. ad Cornelium, ubi de Fortunato, et Fe-
licissimo schismaticis sermonem miscens: *Ad-*
huc, inquit, *navigare, et ad Petri Cathe-*
dram, atque ad Ecclesiam Principalem, unde
unitas sacerdotalis exorta est, a schismati-
cis, et profanis litteras ferre. Non minus egre-
gie Optatus Milevitanus *Lib. II. contr. Par-*
men. Cathedra unica est, quae est prima de
dotibus . . . sedit prior Petrus, cui successit
Linus. Et S. Augustinus in *Psalm. contr. part.*
Donat. Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa se-
de Petri, et in ordine illo Patrum, quis cui
successit, videte. Ipse est petra, quam non

vincunt superbae inferorum portae. Et Hieronymus Dial. adv. Lucifer. Ecclesiae salus in Summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quaedam, et ab omnibus eminens datur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot Sacerdotes (16).

(16) Tametsi ex his omnibus, quae ex Sanctis Patribus vidimus, illud in primis constet; Primatum in Ecclesia a Christo institutum, ut omnis schismatis tolleretur occasio, ipsa vero Ecclesiastici corporis unitas servaretur intacta; Nemo tamen ex eo ipso non videt, Primatum Pontificis eius naturae ostentari, quo Unitas tueri, servari, ac vindicari possit. Quod si solius honoris ea *Principalitas* foret, quomodo id praestarent Pontifices, quod sine auctoritate (hoc ego vocabulo utor, tum quod iurisdictionis voce, quae sero obtinuit, antiquior est, tum quod Patribus Tridentinis adprime placuit) praestari nequit? Quemadmodum enim in Republica, quae legum praesidio, et munimento fortasse careat, frustra rempublicam quaeres, ita sublata Ecclesiae auctoritate, ac iubendi vetandique facultate, Ecclesiam in Ecclesia numquam reperies. Re enim vera quum nulla hominum societas sine legibus stare possit, oportebat profecto, ut conspicuae fidelium convocationi, in qua Christus Monarchicum regimen usque in finem saeculorum sanctissime posuerat, cer-

III. Heic autem ne a Hieronymo abeam , ceteros Patres missos facio , quorum innumera , firmissimaque testimonia Cl. Bellarminus collegit *Lib. I. de Pom. Pont. cap. XV.* Subit enim in mentem Hieronymi epistola ad Damasum , a quo sciscitabatur , tresne hypostases , an una in Trinitate esset admit- tenda. Viden quomodo Pontificem adloqua- tur. *Quamquam tui me terreat magnitudo ,*

ta vis esset , atque auctoritas. Neque hic tempus abundat concertandi cum Protestantibus , qui nihil non intentatum relinquunt , ut istam , qua tamquam Parens in natos , magistra in discipulos suos , divinitus praedita est Ecclesia , funditus labefactent auctoritatem. Quid enim facies illis , qui non possunt illius non refugere imperium , cuius iamdudum contempserunt vocem ? Profecto non alia ego confutatione adversus illos uterer , quam sinceris confessionibus celebriorum ex ipsis Protestantibus. Eccum tibi Leibnitium in *Epist. VIII. ad Joan. Fabricium p. 15. edit. Lips. 1734.* *Quum Deus sit Deus ordinis , et corpus unius Ecclesiae Catholicae et Apostolicae uno regimine , hierarchiaque universali continendum iuris Divini sit , consequens est , ut eiusdem sit iuris supremus in eo spiritualis magistratus terminis se iustis continens , directoria potestate , omni que necessaria ad explendum munus pro Salute Ecclesiae agen-*

invitat tamen humanitas ; a Pastore praesidium ovis peto ; cum successore Piscatoris et discipulo Crucis loquor. Ego nullum nisi Christum sequens beatitudini tuae idest Cathedrae Petri consocior communionem ; super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit profanus est ; si quis in arca Noë non fuerit , peribit regnante diluvio . . . Non novi Vitalem , Meletium respuo , ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit , spargit ; hoc est , qui Christi non est, antichri-

di facultate instructus. Leibnitio Desiderium Erasmus succenseo , qui Lib. de amicab. Ecl. Concord. Enar. in Ps. 83. tom. V. p. 499. Lugd. Batav. 1704. licet non omnia ad ingenium veritatis adcommodet , tamen ita in rem nostram consentit : Quomodo inquis id fiet ? sit unusquisque quod esse debet. Sint Pontifices Christi vicarii , sincero corde gregis Dominici curam agentes . . Qui laici sunt , sint quod dicuntur , non praecant , sed reverenter obtemperant Sacerdotibus. Adferrem Hugonem Grotium in Voto pro pace Ecclesiastica apte opportuneque de Ecclesiae auctoritate disserentem ; adferrem et alios , si velint , ut omnino taceant , modumque tandem calumniis , et cavillationibus imponant ; sed nunc alio properat oratio.

sti est Quamobrem tuam obtestor beatitudinem per Crucifixum , ut mihi epistolis tuis , sive tacendarum , sive dicendarum trium hypostaseoy detur auctoritas.

IV. Hem quam ponderosum Hieronymi testimonium ! quod ipse Erasmus , tametsi Romanae Ecclesiae infestissimus , revereri non dubitavit in adnotatione in hunc locum , ubi videri sibi , inquit , *Hieronymum his verbis adserere, omnes Ecclesias, esse Sedi Apostolicae, subiectas.* Sed, vide quanta in uno textu momenta ! Hieronymus quum Antiochenus Presbyter esset , et ab Episcopo Antiocheno Paulino ordinatus , ut ipsemet testatur in *Ep. ad Pamnadium* , tamen se ovem Romani Pontificis agnoscit , et ab eo , ut summo pastore praesidium petit. II. Paulinus quum non esset unus de trivio , sed Patriarcha Antiochenus , cui cathedrae , antequam Romam adventaret , per plures annos insederat Petrus , tamen Damasum Pontificem Paulino episcopo suo Hieronymus praefert , et pro ingenuitate sua clamat : *non novi Vitalem , Meletium respuo , ignoro Paulinum.* III. Fateatur Damasum esse Petri successorem , eique neminem se anteponeere adfirmat , nisi solum Christum , cuius ille Vicarius. IV. Pontificis sedem , veluti fundamentum illius domus , et

navis ponit, quae est Ecclesia Universalis. Vin plura?

V. Porro autem huiusmodi contestationibus plenissima est antiquitas omnis, nec ullum certe finem oratio inveniret, si vel potiora monumenta corrogare vellem, quibus constat Romanam Ecclesiam semper primatum super ceteras omnes habuisse. Romani enim Pontifices iam inde ab aevo Apostolico Unitatis Ecclesiasticae non custodes tantum, sed et vindices se praebuere (17). Hi iure suo fi-

(17) Id quod cuius datur facile intelligere ex utraque illa de Paschate, et de haereticorum baptismo controversia, in qua ut ad unitatem reliquos in Episcopatu fratres cogere, strenuissime concertarunt Pontifices. De Liberio sat notum est, quantum in unitatis vinculo tuendo adlaboravit, quum et acta Mediolanensis Synodi, quo S. Athanasius Arianorum iudicio damnatus fuerat, resciderit, ac ceteros Episcopos pro fide Nicaena exilio, afflictatos ad id sustentandum vinculum cohortatus sit. Sed et medio saeculo IV. quum Ecclesia Orientalis praesertim Arianorum erroribus ac fraudibus pessime exagitaretur, Julius I. Pontifex se tanquam murum aeneum, et columnam ferream haereticis opposuit, atque Athanasium, aliosque Catholicos Episcopos in Synodo Tyria damnatos in communionem recipiens, unitatem Ecclesiae

dem constantissime tuiti sunt (18) hi devios ad illam revocarunt (19), ac pertinaces excommunicatione multarunt (20), hi fidei con-

omni conatu restituendam curavit. Vid. *Jul. I. Epist. ad Orient.*

(18) Res notior est quam ut producendis testibus fastidium creem. Conferendi in primis Ammi-
nus Marcel. *Lib. XV. cap. IX.* Sozomenus. *Hist. Eccl. Lib. IV. cap. XVIII.* et *Lib. VI. cap. XXV.*

(19) Vel enim Decianae persecutionis aetate, quum plures fideles in idololatriam lapsi essent, quid non egit S. Cornelius Pontifex, quo eos ad fidem, et poenitentiam revocaret (Cypr. *Ep. LXVII.*)? Ecquis ignorat Liberii Pontificis conatus, ut Episcopi qui Arianorum fraudibus decepti fidem Nycaenam in Synodo Ariminensi prope prodiderant, in Ecclesiam revocaret, obstrepentibus Luciferianis? Scimus et Siricium, ut in Ecclesiae Catholicae complexum redirent Manichaei, haud parum adlaborasse, quorum nonnullos ad Ecclesiam redeuntes, ne sociorum conversatione iterum polluerentur, inssit in monasteria detradi.

(20) Saeculo II. Cerdonem Sanctus Higinus Pontifex ab Ecclesia eiecit, teste Irenaeo *Lib. I. cap. XXII.* et Cypriano *Epist. LXXIV.* Marcionem item S. Pius I. ut ex Epiphanio *Haer. XLII.* Jam et Victor Papa Asianos anathematizandi iurata consilium, nisi se pacis sequestrum interposuisset Irenaeus (Euseb. *Lib. V. cap. XXIV.*) Ecclesia-

troversias longo saeculorum cursu tamquam Supremi Iudices resecurant (21). Hi exturbatos de sedibus Episcopos, et immerito exauctoratos pristinae dignitati restituerunt (22), hi

stica tamen communione privavit Theodotum, Ebionem, et Artemonem, Sabellium quoque, et Noetum, tum et Valentinum (Hieronym. *de Vir. Ill. XXIV.*) Saeculo III. Zephrinus Pontifex Proclum Montani sectatorem damnavit (Euseb. *Lib. V. cap. XXVIII.*); tum et Novatianum eiusque assecclas, ac Felicissimum S. Cornelius (Cyprian. *Ep. LV.*) Saeculo IV. Damasus Papa Ursacium, et Valentem, tum et Auxentium excommunicatione multavit (Athan. *Ep. ad Afric. Theodor. Lib. II. cap. XXII.* et Socrat. *Lib. VI. cap. XXVII.*) De Siricio autem ita Ambrosius in *Rescript. ad Siric. Itaque Jovinianum, Auxentium, Germinatorem, quos Sanctitas tua damnavit, scias apud nos quoque secundum iudicium tuum esse damnatos.*

(21) In re testatissima testibus tempero.

(22) S. Athanasius Alexandrinus, Marcellus Ancyranus, et Paullus Constantinopolitanus a Synodo Orientali depositi, suis sedibus a Julio I. sunt restituti (Gelas. *Ep. ad Episc. Dardan.*) Vnde Sozomenus *Lib. III. cap. VII. Quum propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit. Athanasius et*

Episcopos, et Patriarchas etiam, ubi opus, deposuerunt (25); hi demum, ut uno et altero verbo rem omnem expediam, ea auctoritate semper usi sunt, quae Supremo Judici, Capiti, ac Principi competebat.

IV. Quam supremam auctoritatem adprime quidem probant adpellationum iura, quae a quavis Ecclesia ad Sedem Apostolicam interponi consueverunt. Saeculo III. Fortunatus, et Felix in Africa a Cypriano communione privati Romam navigarunt, atque Cornelium Rom. Pont. adpellarunt, ipso teste Cypriano *Lib. I. Ep. III.* Nec ita multo post, Stephano Romanam Sedem habente, Basilides in Hispania depositus ad illum suppliciter accessit, de quo idem Cyprianus *Ep. IV.* Caelestius

Paulus ad suas sedes revertuntur, litterasque Iulii Episcopis Orientis mittunt.

(24) Octo quidem Patriarchas a Romana Sede depositos Nicolaus I. recenset *Epist. ad Mich. Imper.* Damasus vero Flavianum Patriarcham Antiochenum (Theodoret. *Lib. V. cap. XXIII.* item Apollinarem Episcopum Laodicenum, eiusque discipulum Timotheum Episcopum Alexandrinum deposuit (Sozomen. *Lib. III. cap. XXV.*) Quod et Sixtus III. egit in Polychronium Episcopum Ierolymitanum (*Act. Sixt. III. in Collect. Con.*)

etiam in Synodo Carthaginiensi damnatus Innocentium I. adpellavit. Chelidonius item Episcopus Viennensis Provinciae in Synodo accusatus, quod ante Episcopatum, et viduae maritus fuerat, et pro tribunali sedens reum morti addixerat, per Hilarium deiectus, Romanam adpellavit, et a Sancto Leone sedi suae restitutus est (24).

VII. Idem obtinuit et in Ecclesia Orientali. Profecto pervaserat Ecclesias Orientis ius Romanarum adpellationum, quum saeculo II. Marcion a Patre episcopo excommunicatus Romanam contendit, a Matre Ecclesia communionem exoraturus (Epiphag. *Haer.* XLII.). Nisi enim id illi penitus insedisset, non longum adeo iter suscepisset. Saeculo IV. Athanasius ab Orientalibus sede sua spoliatus ad Julium I. se recepit, ut in eam restitueretur (Sozom. *Lib.* III. *cap.* II.). Maximus etiam Episcopus Constantinopolitanus in Concilio Cpolitano depositus Romanam

(24) Qui plura huiusmodi aveat, conferat Christiani Lupi aureum opus: *Divinum ac Immobile S. Petri Apostolorum Principis circa omnium sub caelo fidelium ad Romanam eius Cathedram adpellationes.* Moguntiae 1681 et Cl. Virum Natalem Alexandrum *Dissert.* XXVIII. *saec.* IV.

Sedem adpellavit, ut Nectario reprobato, pristinam resumere sedem posset (Vales. *in not. ad Sozom.*). Porro Eustathius Episcopus Sebastenus in Melitina Synodo depositus Liberium Romanum Pontificem adpellans, sedem suam obtinuit. Joannes etiam Chrysostomus in Synodo ad Quercum depositus a Theophylo Episcopo Alexandrino, ac inique damnatus, Innocentium I. Rom. Pontificem adpellavit, a quo plenissime restitutus. Cuius Apostolici iudicii iustitiam auctoritatemque omnis tandem Oriens agnovit; et quod magis est, non tantum Cyrillus Theophyli nepos ac successor, sed et ipse Theophylus, de quo scribit S. Joannes Damascenus *Orat. III. de Sacr. Imag.* quod in mortis lecto sibi adferri iussit Sancti Joan. Chrysostomi imaginem, ab eoque enixe veniam supplicavit. Demum Flavianus Patriarcha Constantinopolitanus, a sententia Latrocinii Ephesini adpellavit Sanctum Leonem Pontificem, quem et adpellavit Theodoretus Cyri Episcopus ab eodem Latrocinio Ephesino damnatus, quod Nestorio favere videretur. Vnde Act. II. Concil. Chalced. *Ingrediatur et Reverendissimus Episcopus Theodoretus, ut sit participes Synodi, quia restituit ei Episcopatum SS. Archiepiscopus Leo.* Sed vero quid est

quod a primis usque Ecclesiae saeculis Tribunal Romani Pontificis appellatum est, nisi Rom. Pontifex supremam in Episcopos universae Ecclesiae auctoritatem obtineret?

VIII. Porro et hunc Romani Pontificis Primatum ipsa Oecumenica Concilia invictissime adstruunt, quibus hoc loco producendis temperamus (25), satis ducentes unius Concilii Florentini verba adscribere, in quo unanimi Graecae Latinaeque Ecclesiae sententia definitum est: *Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem, in universum orbem tenere Primatum; et ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo ple-*

(25) Ita quidem Concilium Nicaenum *Can. VI. Ecclesia Romana semper habuit primatum. Eodem modo Concil. Constantinopolit. I. can. III. et Const. II. act. IV. tum et Synodus VII. act. II. Concil. Lateranense IV. et Viennense, de quibus videsis Natalem Alexandrum Dissert. IV. Hist. Eccles. Saec. I.*

nam potestatem traditam esse, quemadmodum et in gestis generalium Conciliorum, et in Sacris Canonibus continetur.

C A P U T III.

Pontifex Maximus aberrare nequit, universam ubi docet Ecclesiam.

I. **D**e Pontificis Romani inerrantia sermonem instituo, sed Pontificem non ceu privatum hominem induco, sed ut Universae Ecclesiae Praefectum, et Pastorem, nec ubicumque, vel rem quamvis, sed res fidei tantum, et ex Petri Cathedra Christianos omnes docentem. Hoc illum modo errare nequitam posse statuo, non studio partium abreptus, sed Christi Domini doctus eloquio.

II. Christus enim *Lucae XXII.* sic fatus est Petrum: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum:*

ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Quum autem Christi inanis esse nequeat oratio, nam *Joan. II.* Patrem adloquens inquit, *ego scio, quid semper me audis*, profecto dicendum est illum obtinuisse quod oravit. *Quid autem aliud oravit* (inquit Augustinus *De Corrept. et Grat. cap. VIII.*) *nisi ut haberet Petrus in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam; perseverantissimam voluntatem?* Quod si vero ex Patribus omnibus, et Conciliis constat, Christum, quod pro Petro oravit, obtinuitque, id pro eiusdem Petri in Romana sede successoribus orasse, et obtinuisse; constat etiam Summum Pontificem, quum universam docet Ecclesiam, errare non posse.

III. Nec vero mihi umquam probabitur qui huic locum de tota Ecclesia intelligat, quum expressissime Dominus non Ecclesiam sed Personam designaverit inquiring: *Simon, Simon.* Immo quamvis commune fuerit omnibus Apostolis tentationis periculum, ut constat ex verbis *Expetivit vos, ut cribraret;* tamen singularem Petri curam Dominus suscipit: *ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* tamquam (ut Leonis Magni verbis utar *Serm. III.*) aliorum status

certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. Quid quod quae sequuntur verba: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, omnino toti Ecclesiae non conveniunt; tum quod ex eo sequeretur, aliquando fore, ut tota pervertatur Ecclesia, et postea iterum convertatur, quod monstrum erroris est; tum quod Ecclesia nullos habet fratres, quum omnes fideles sint filii.

IV. Porro et huc Christi verba *Matth. XVI.* faciunt, quae supra expendimus: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent adversus eam.* Ex qua Christi pollicitatione invictum pro infallibilitate Pontificis eruitur argumentum. Nam ex quo Petrus a Christo Domino Ecclesiae Petra factus est, contra quam portae inferi, nimirum errores inimicorum, et haereses, praevalere non possent, insuperabili fidei robore, soliditate, firmitudine donatus est, ut a fide numquam ex-cidere possit. Porro eandem, quam Petrus habuit in fide constantiam, soliditatem, et firmitudinem, successoribus, Sedi que Apostolicae tribuunt Patres, et utriusque Ecclesiae cum Graecae tum Latinae doctores (26), eandem-

(26) Patrum testimonia confer. issima habes apud

que superiorum saeculorum Pontifices sibi vindicant, nemine unquam reclamante, immo universa Ecclesia consentiente, ac plaudente.

V. An vero dices, comma illud: *portae inferi non praevalent adversus eam*, ad solam Ecclesiam referri, quasi in eam solam praevaliturae non essent haereses, non vero ad Petrum, super quem fundata est Ecclesia? *Apage nugarum!* Patres enim adprime huic interpretamento refragantur, in primis Origenes in hunc locum: *neque adversus petram supra quam Christus aedificavit Ecclesiam, neque adversus Ecclesiam portae inferi praevalent*; cui succensendi essent Augustinus, Epiphanius, et innumeri alii; sed quid Patrum suffragiis opus in re luculentissima? heus tu quid inquis? inferi portas non praevalere adversus Ecclesiam, praevalere vero adversus Petrum? Sed si Petrus est Petra, et fundamentum Ecclesiae, praevalerent utique in Ecclesiam portae inferi, si in petram, cui superstructa est, praevalerent; diruto enim fundamento, ruet et aedificium.

VI. Praeterea *Joan. XXV.* Petro dictum est: *Pasce oves meas*, quo mandato Petrus

Cl. Bellarminum *Lib. IV. de Rom. Pont. cap. III.*

universalis Ecclesiae pastor constitutus, auctoritatem accepit tum Dominici Gregis regendi, tum Evangelicae doctrinae proponendae, qua ille pascendus est, et discernendi pascua salutaria a noxiis. Quum autem Pastoris sit resecare dubia, quae de Sacris Scripturis oriri possunt, traditionem Patrum proponere, et fideles omnes, ac episcopos ipsos ad sanam doctrinam compellere, tum et Christianorum mores ad Evangelii modulum componere, quis non videt, opus esse omnino ut eius sententia nulli errori obnoxia sit? Secus enim ecquo modo dicamus, Christum Ecclesiae, quam sanguine suo adquisivit, consuluisse?

VII. Nec vero ex huiusmodi passione, quemadmodum Pontificis Maximi, ita et singulorum Episcoporum, qui pastores quoque Ecclesiae sunt, inerrantiam, quis deducat. Nam error singularis Episcopi, si quis aliquando contingat, facile potest a Supremo Episcopo Romano, qui universae Christi Ecclesiae Doctor est, ac Magister emendari, et facile item aberrantis Episcopi gregem in ovile revocare, ne vel a lupis infestetur, vel ad infecta veneno pascua deducatur. Quid quod Episcopi error in errorem non trahit universam Ecclesiam, sed eam dumtaxat

illius partem; quam pascendam suscepit.

VIII. Porro Romani Pontificis tribunal, quum huiusmodi sit, ut in eo iura summæ et ultimæ cognitionis causarum fidei iudicentur, ut ab eo nemini liceat adpellare, quæ temeritas esset suspicari in eo Tribunali erratum? vel quæ in rebus fidei perturbatio esset, si aliquando dubitaretur, veritati fidei ultimo iudicatae falsum subesse (27)? Apage! instar Patrum omnium unum audiamus Au-

(27) Enimvero quum quod fide credimus, adeo sit certum, ut falsum nullatenus esse possit, quia totum simul rueret Religionis fundamentum, quid de eo erit, nisi in rebus fidei infallibilem dicamus Romanum Pontificem? Constat enim a Christo nato ad annum usque CCCXXV. quo Concilium Nicaenum habitum est, nulla fuisse Oecumenica Concilia coacta, et una Pontificum auctoritate multa fidei definita dogmata, multasque hæreses damnatas. Quod si aliquando postulata a Sede Apostolica sententiam Concilia habita sint Oecumenica, id optimo ipsius primæ Sedis factum est consilio, ut collatis Capitibus de remediis ageretur, quibus singulæ Ecclesie contra hæreticorum conatus, machinationesque munirentur. Re enim vera, Patres in huiusmodi Conciliis nunquam consuevisse Sedis Apostolicæ expendere sententias indubia testantur monumenta. Vnde in

gustinum, qui Romani Pontificis iudicium in causa fidei pro finali Ecclesiae iudicio habuit. Quum enim acta Carthaginensis et Milevitani Concilii, quibus anno CCCCVI. Pelagius atque Caelestius damnati fuerant ad Innocentium I. Pontificem delata fuissent, eaque rata habuisset Pontifex, haeticorumque doctrinam lata sententia proscripsisset, Augustinus pro concione ad populum dixit *Serm. II. de verb. Apost. Jam enim de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt: causa finita est.*

IX. Nec verò quis (18) illud urgeat inter-

Concilio Chalcedonensi, quum lecta fuisset celebris, et dogmatica S. Leonis Epistola adversus haeresim Eutychemis, tamquam Divinum oraculum excepta est a sexcentis Episcopis adclamantibus *Petrus per os Leonis loquutus est.* Sed ne diutius orationis telam protendere videar, qui plura aveat, in primis conferat amicissimum Bolgenium, subacti iudicii virum, in examine Operis: *Vera idea della Santa Sede*, quem Petrus Tamburinus Ticinensis Academiae professor, vir ceteroqui doctus, sed nimis fortasse aestuosus, ante hos annos edidit.

(18) Ita quidem Ludovicus Elies Dupinus *De Antiq. Eccl. Discipl. Dissert.* V. ubi et multa

pretamentum velim, quasi non aliud innueret Augustinus, nisi Pelagianam causam Romae tantum finitam. Nam si Romae tantum causa finita esset, eccur Augustinus Pelagianos in Africa urgebat? Eccur eos post iudicium Romani Pontificis ad Concilium Oecumenicum provocantes, non amplius audiendos clamabat, sed tamquam rabiosos lupos insequeretur toto orbe Christiano expellendos?

X. Nec, ut ingenue fatear, quorundam ferre possum confidentiam, qui Augustinum non nisi de eo Romani Pontificis decreto loquentem inducunt, quod universae Ecclesiae consensu probatum sit. Quid? adeste quotquot ita sentitis. Nonne constat, Innocentii iudicium Romae latum esse exeunte Ianuario anni CCCXXVII. Augustinum vero concionem illam habuisse IX. Kalendas Octobris eiusdem anni? Qui igitur, vix octavo post Innocentii iudicium excursu mense, potuit Augustino omnium Ecclesiarum et

huiusmodi adversus Pontificis inerrantiam congestit. Quem tamen pro merito exagitavit Clarissimus consanguineus meus Vincentius Lupulus Telesinorum Episcopus, vir solidae pietatis, et doctrinae, in quantivis pretii Opere *Juris Eccles. Praelect.* tom. II. cap. II. p. 161. et seqq.

Episcoporum innotescere consensus? Quod si consensum universae Ecclesiae adtendisset Augustinus, cur non nisi solum sedis Apostolicae rescriptum inducit? Demum si Pontificii decreti firmitas ex consensu Ecclesiae penderet, non Ecclesia in Petro, eiusque successoribus, sed Petrus in Ecclesia esset fundatus: nec esset Petrus fundamentum Ecclesiae, sed Ecclesia esset fundamentum Petri, contra effatum Christi Domini.

pore sunt instituta , ut coeuntibus in unum Ecclesiarum Praepositis , collatisque simul sententiis , consuleretur , ne quid Christiana religio caperet detrimenti.

II. Ita quidem actum ab Apostolico usque aevo videmus , quo Concilia Christiana celebrari primum coeperunt (*Act. Apost. XV.*). Ex quo ego Alberto Pighio non adsentior , qui *Lib. VI. de Coelest. Hierarch.* conciliorum originem humana plane ratione contendit excogitatam ; Apostolorum enim traditionem equidem adpellare humanum inventum numquam audebo. Maxime quum plura Concilia (1) expresse doceant a Christo Domino hanc dimanasse institutionem cuius scitissimum est effatum *Matth. XVIII. Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo , illic ego in medio illorum sum.*

III. Magnificentissima de his iam tum Conventibus Tertullianus habet *Lib. de Jejun. cap. XIII.* qui et Episcoporum gravitatem , frequentiamque , et rerum quae ventilabantur magnitudinem , et maiestatem Ecclesiae universae , quodammodo ibi uno in consessu reprae-

(1) Ita quidem Concilium Chalcedonense in *Epist. ad Leonem* ; et VI. Synodus *Act. XVII.* nec non Concilium Toletanum III.

sentatam egregie commendat. Nec ipse Lucas hosce conventus ab Episcopis habitos siluit, nec facile quisquam ambiget, quin Apostolorum coetus, et Apostolicorum illorum Praesulum coitio, *Concilii* vocabulo honestari possit.

IV. Verum post Apostolicam illam aetatem ad terminum usque alterius Christiani aevi nulla usquam Conciliorum adparent vestigia; ne tum quidem, nisi in Oriente celebrari coepta memorat Tertullianus. Sane quidem dum terras Apostoli superstites illustrabant, et ubi terris emigravere, recentissima eorum admiratio, et coelestium mandatorum memoria; poterant profecto plurium Conciliorum instar haberi. Sed ubi temporis diuturnitate, et novarum subinde haeresum pravitate concussae, alicubi etiam oblivione pene obrutae sint traditiones Apostolicae, omnino cogenda fuere Concilia, tum ut fidei auctoritatem vehementer labefactatam, tum ut Apostolicae disciplinae puritatem nova errorum colluvione foedatam restituerent.

V. At vero Conciliorum non unum existit genus. Omnibus quidem CONCILIA GENERALIA eminent (Graecis οἰκουμενικαὶ σύνοδοι *Oecumenicae Synodi*) in quae universi Orbis Christiani Episcopi conveniunt, praeside Pontifice Maximo, vel eius legatis. De

quibus ex instituti ratione multa fusiori calamo dabimus infra.

VI. His succedunt CONCILIA NATIONALIA, in quae totius gentis Episcopi confluebant, quae et *Dioecesana* dicta sunt; *διοικησις* *Dioecesis* enim plures provincias comprehendebat sub uno Exarcho; et ita potissimum adpellabantur, quae a Primatibus in Occidente indicebantur; in Oriente enim *Patriarchalia* audiebant, siquidem a Patriarchis celebrabantur. Atque haec sunt quae *maiora*, *plena*, et *generalia* dicta saepenumero offendimus, ut a Provincialibus secernerentur. Jamvero in Oriente primum huiusmodi Concilia ortum habuerunt, tametsi mox in Africanis Ecclesiis frequentata fuerint. Et nisi me maxime fallit opinio, a Concilio Cpolitano I. vel originem, vel certe formam arcessunt, quum ab eo maiores dioeceses institutae fuerint, ac confirmatae. Agebantur vero, ubi momentosa occurebant negotia, quae vel fidei vel disciplinae sanctitatem spectarent (2).

VII. Dioecesis plures provincias complecte-

(2) Quandoque vero in iis etiam causae episcoporum excutiebantur, qui a Conciliis provincialibus ad dioecesana adpellabant. Conferatur Justiniani *Novel.* CXXIII.

batur; at vero Provincia multis constabat Episcopatibus. Hinc post dioecesana, sive nationalia, PROVINCIALIA CONCILIA veniunt, Graecis *επαρχια*, quae a Metropolita cum omnibus provinciae Episcopis habebantur. Olim quidem bis singulis annis, de Ecclesiasticis caussis cognituri singuli Episcopi in huiusmodi Conciliis congregari iubebantur, ut plurimum ante Quadragesimam, et autumnii tempore (3). Attamen a Justiniano *Novel. CXXXVII.* permissum ut semel in anno Provinciale Concilium cogeretur (4). Et Patres Basileenses demum an. MCCCXXXIII. id ad triennium distulerunt, quod Sancta Tridentina Synodus confirmavit *Ses. XXIV. cap. II. de Reform.*

VIII. His postremo succensenda sunt CONCILIA EPISCOPALIA, quae antiquitate ce-

(3) Ex Concilii Nicaeni *Can. V.* Ex Antiocheni vero *Can. XX.* statim post Pascha, et deinde autumno, medio mense hyperberetaeo, i. e. idibus Octobris, quod deinceps servari iussit Synod. Chalcedonens. *Can. VI.*

(4) Trullana etiam Synodus propter barbarorum incursiones, aliasque incidentes caussas semel quotannis habenda haec Concilia censuit. Quod sequuta est Synodus Nicaena II. Oecumenic. VII. idque ob itinerum, et frequentis Episcoporum ab sedibus suis absentiae incommoda.

teris omnibus praestant, tametsi dignitate inferiora. Vel tum enim in Ecclesiae primordio facilius erat ab Episcopo Clerum suum convocari, quam vel nationis, vel provinciae, vel totius Orbis Christiani Episcopos cogere, potissimum quum nondum Metropoleon fines satis explorati essent, atque adhuc in persecutionum procellis versarentur. Haec autem sunt, in quibus Clerus totius Paroeciae (vulgo nunc *diocesis*) ab Episcopo cogebatur, ut lites laicos inter et clericos finirent, morum disciplinam restituerent, vitia coercerent, et haereses quandoque proscriberent, quemadmodum in primo huiusmodi Episcopali synodo actum, quum Joviniani haeresim Siricius Papa coram universo Clero Romano ab se coacto damnavit. At vero his veluti in via constitutis, ad Oecumenica Concilia, quae ad nostrum proxime pertinent institutum, sermonem convertamus.

CAPVT II.

*De iure Concilii Oecumenici
convocandi.*

I. **M**ihi quidem unum idemque videtur et de Romani Pontificis in universam Ecclesiam principatu quaerere, et cuiusnam cogendi Concilii auctoritas sit; sic ut illo constituto, de hac neutiquam dubitari possit. Actum igitur iam prope esset agendum, si postquam invictissimis argumentorum momentis Summi Pastoris Primatum vindicavimus, nunc auctoritatem convocandi Concilii, quae consecrarii loco ex ea principalitate proxime descendit, in quaestionem adduceremus. Verum quum maleferiata Protestantium cohors, ultimam ruinam ex Sancto Concilio Tridentino passa, omne quod reliquum erat virus in id demum evomuerit, illud potissimum per summam impudentiam obtendens, quod Tridentinum ratum non sit, siquidem ab Imperatore non indictum, penes quem legitima Concilii cogendi auctoritas est; ideo rem hanc singulari loco ventilandam heic suscipimus.

Nimirum cum Luthero, Carolo Molinaeo, Calvino, et Centuriatoribus Magdeburgensibus haec nostra versatur-disputatio.

II. Quemadmodum Regni comitia nulla sunt, immo suspecta, quae neque convocata a Rege sunt, neque adprobata; ita Concilia totius Ecclesiae Christianae nulla erunt absque illius auctoritate, qui Christiani orbis caput, et Rector est. Christus enim quum in Coelum iam prope adscenderet, ne visibilem suam praesentiam adhuc desideraret Ecclesia, non illam gubernandam, ac proinde congregandam Tiberio qui tunc imperabat commisit, sed Petro Apostolo, cui dixit *Pasce oves meas*. Ex quo satis abunde patet, non Tiberii, sed Petri Apostolorum Principis heredes qui Romani Pontifices sunt, in ius congregandae in Concilio Ecclesiae successisse.

III. Profecto autem Christus Dominus fideles ovibus, et Ecclesiam ovili comparat Jo: X. 16. *Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illis oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor*. Nonne vero ex ovium numero sunt Imperatores? Nullos enim excepit Christus, quum Petro dixit: *pasce oves meas*, quod egregie S. Leo advertit *Serm.*
III. *De toto mundo unus Petrus eligitur,*

qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis, cunctis Ecclesiae Patribus praeponatur, ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus. Quid igitur? Anne ovis est convocare pastores?

IV. At si parumper adversariis tribuamus, quod Imperatoribus ius universae cogendae Ecclesiae spectet, videant quaeso ne vanum omnino ius illis tribuant, quum imperatorum nemo umquam totum Orbem Christianum in sua habuerit dominatione. Vel quos enim coget ad Concilium, vel quale id foret Concilium? Cogetne Italos? sed hi suos habent Reges; coget Hispanos? at suo subiiciuntur Regi. Quid de ceteris Christianis nationibus dicam? Vix igitur unius provinciae Episcopos in Concilium congregabit, et hoc autem Oecumenicum adpellabimus? Apage igitur, et illi universae Ecclesiae congregandae damus auctoritatem, qui universam Ecclesiam in sua divinitus habet gubernatione.

V. Id quod et Concilia testantur, et Pontifices, nedum, quod magis est, ipsi Imperatores. Sane longissimum esset omnia quidem huc transferre monumenta; quorum instar paucis erimus contenti. Primum vero

utar testimonio Patrum Chalcedonensium contra Dioscorum Patriarcham Alexandrinum, qui Ephesi pro restituendo absolvendoque Eutychete Theodosii auctoritate *ἀστικῆν συνοδὸν* latrocinium Ephesinum habuit: *Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicae; quod numquam factum est, neque fieri licet.* Inter Pontifices autem Sixtum III. habemus ita ad Orientales scribentem: *Valentinianus Augustus nostra auctoritate synodum convocavit.* Et S. Leonem Ep. XCIII. ad Turbium: *Dedimus litteras ad fratres et Coepiscopos nostros, eisque Concilium Synodi generalis indiximus.* Et demum ut alios sexcentos mittam ita luculenter Hadrianus II. Ep. ad Basil. Imperat., quæ lecta est in VIII. Synodo: *Volunus per tuæ pietatis industriam Constantinopoli numerosum convocari Concilium.* Quod si et Imperatorum testimonia desiderentur, eecum tibi locupletissimum testem Valentinianum, qui Hellesponti et Bythiniae Episcopis veniam cogendae Synodi efflagitantibus, adpositis verbis respondit (ap. Sozomen. *Hist. Lib. VI. cap. VII.*): *Mihi, qui sum in sorte plebis, fas non est talia curiosius perscrutari; sacerdotes, quibus ista curae sunt, quocumque voluerint loco conveniant.* Quibus omni-

bus ex facto ipso magnum accedit pondus.

VI. Tametsi vero ex gravissimis Scriptoribus constet, priora octo Orientalia Concilia per Imperatores fuisse coacta (5), tamen aequè constat, rem totam cum Romani Pontificis sententia, et consensu fuisse transactam. De Nicaena enim Synodo testis est Rufinus *Hist. Lib. X. cap. I.* Constantinum ex sententia Sacerdotum eam indixisse. De Cpolitana I. Theodoretus adprime testatur *Hist. Lib. V. cap. IX.* a Theodosio illam ex mandato Apostolicarum litterarum convocatam. Id quod confirmant Episcopi in eo Concilio coacti ad Damasum Pontificem scribentes: *Mandato litterarum superiore anno a vestra reverentia ad Sanctissim. Imperatorem Theodosium missarum, ad iter dumtaxat Constantinopolim usque faciendum nos praeparavimus.* Idem de reliquis Synodis liquet, ad quas Romani

(5) Nicaenum I. a Constantino coactum narrat Rufinus *Hist. Lib. I. cap. I.* Cpolitano I. a Theodosio seniore testatur Theodoretus *Hist. Lib. V. cap. IX.* Ephesinum a Theodosio iuniore, Evagrius *Hist. Lib. I. cap. II.* Chalcedonense a Marciano Imperatore, ut ipsemet fatetur. Idem dicas de Cpolitano II. a Justiniano; de Cpolitano III. a Constantino, et Irene eius matre; et demum de Cpolitano IV. a Basilio Macedone.

Pontifices legatos, qui illis praeesent, miserunt, quod est argumentum longe certissimum, eas Synodos non sine Pontificis consensu fuisse coactas.

VII. Sed tamen non una etiam, nec levis accedit causa, cur Imperatores illa aetate Conventus generales indixerint, Ecclesia vero lubens permiserit. Primum enim nemini non notum, iure Civili prohiberi omnino conventicula quaevis, sive publica, sive privata, absque Principis, aut Senatus auctoritate. De qua re extat *Lex 3. D. de Colleg. et corporib.* et *L. 15. C. de Episc. et Cler.* Quo sane facit Tertullianus *Lib. de Jejun.* ubi Christianorum excusans conventus: *nisi forte, inquit, in Senatusconsulta, et principum mandata, coitionibus opposita delinquimus* (6). Praeterea vero et ita paupertati Episcoporum consulebatur, qui longis itineribus ad Concilium acciti, unde viaticum solvere prorsus non habebant. Nam ubi Concilia ab Imperatoribus essent indicta, statim et tra-

(6) Idem colliges ex C. Plinii *Epist. XCIX.* in qua ubi multa de Christianis, eorumque conventibus ad Traianum retulerit, e vestigio subdit: *quod ipsum facere desiisse, post edictum meum, quo secundum mandata tua et hetaerias esse vetueram.*

ctoriae epistolae Episcopis dabantur, ut equi, aut vehicula, et comitatus ex publico Civitatum censu praestarentur. Id quod praeter Theodoretum, Eusebius testatur *Lib. I. Hist. Eccl. cap. IX.* ubi et victum a Constantino Episcopis toto Concilii tempore suppeditatum refert.

SCHOLION. Tametsi unius sit Pontificis Concilium convocare, et quidem verum et perfectum, quod nimirum finiendarum quaestionum fidei habeat auctoritatem; potest quandoque tamen id a Cardinalibus cogi. I. Si Pontifex sit haereticus, vel apostata occultus, et Concilium in quo res discutiatur cogere abnueret; quod si apertam haeresim profiteatur, tunc nec Ecclesiae membrum, nec Petri successor est. II. Si duo de Pontificatu contendant. Qua in re duo advertenda; vel horum unus est in possessione Pontificatus, et Concilium indicere recuset, quo illis dirimatur, tunc in tanto Universalis Ecclesiae periculo per Apostolicum Collegium id convocabitur (7), ut de capite providea-

(7) Cuiusmodi fuit concilium Pisis a Cardinalibus coactum an. MCCCIX. quum Gregorius XII. Pontifex, et pseudopontifex Benedictus XII. de pontificatu contendeant non sine scandalo Vtro-

tur. Vel neuter huiusmodi gaudeat possessione, et tunc Romana Sedes omnino vacare censetur, proinde Cardinales, qui eam pro tempore moderantur, experiri omnia tenentur (8), ut viduatae Ecclesiae prospiciatur.

CAPUT III.

De Vocandis ad Concilium.

I. **Q**um auctoritas definiendi quae credenda, agendaque sint, a facultate pascendi docendique proficiscatur, nemo sanus profecto dubitabit, quin ii tantum qui iure Divino pastores, et doctores sunt in Ecclesia, ius iudicandi definiendique in Concilio habeant. At huiusmodi vero non sunt fideles quicumque, sed soli Episcopi, quibus dictum est *Act. XX. 28. Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Ex quo retunditur Lutheri, ac Magdeburgensium impudentia, qui nullo prorsus inter Ordinem

que enim in ius vocato, ac a pontificatu deiecto, Alexander V. creatus est Pontifex.

(8) Confer Cabasutium in *Notit. Concil.* ubi de Synodo Constantiae coacta, in qua adversus tres antipapas lata sententia, communi suffragio Martinus V. renunciatus est Pontifex an. MCCCCXVII.

et plebem constituto discrimine, cuiuslibet fidelium ius ferendi in Concilio suffragium adtribuunt.

II. Re enim vera par aequumque est, ut illud quidem veluti Conciliorum omnium exemplar habeatur, quod ab Apostolis apud Hierosolymas actum est. In eo autem de legalibus disquisitione habita, nullus laicorum tulisse sententiam, quin et tacuisse, adpositis verbis dicitur, ut audirent Apostolos: *Conveneruntque Apostoli, et Seniores videre de verbo hoc quum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit . . . tacuit autem omnis multitudo, et audiebant Barnabam, et Paullum . . . et postquam tacuerunt, respondit Jacobus* cet. Ergo ius suffragii non ad fideles quosvis pertinet, sed ad Episcopos tantum, qui vices gerunt Apostolorum.

III. Rude autem, ac prorsus nostra indignum confutatione est argumentum, quod ex eo in ipsis Apostolorum actibus arripiunt Lutherani, quod saepe cum Apostolis inducuntur seniores, ut quum dicitur: *Conveneruntque Apostoli, et Seniores*, et mox: *placuit Apostolis et Senioribus*; iterumque in Epistola synodica: *Apostoli et Seniores his qui sunt Antiochiae, et Syriae, et Ci-*

liciae fratribus salutem. Senior enim, ut vel ipsi norunt in rebus sacris novitii, Graecis est *πρεσβυτερος*, qua voce tametsi in Veteri Testamento aetate proveciores significantur, in Novo tamen nonnisi Episcopi notantur; cuius rei testes locupletissimi sunt Sanctus Joannes Chrysostomus *Hom. I. in Ep. ad Philip. I. et Hom. XI. in I. ad Timoth. III.* nec non S. Hieronymus in *Cap. I. Ep. ad Titum*; id quod et colligere primum est ex *Act. XX.* ubi qui *presbyteri* vers. 17 dicuntur, *Episcopi* versu sequenti adpellantur. Ex quo factum, ut Apostoli saepe *presbyteri* dicantur, idest Episcopi; et Joannes *ος πρεσβυτερος* in suis duabus postremis epistolis audiat, quod vulgata vertit: *Joannes Senior.*

IV. Sed ut eo, unde nostra digressa est oratio, redeamus, non alios quam Episcopos ius suffragii in Concilio habere, traditio etiam, quae fidissima religionis est custos, manifestum facit. Ab ipsis enim Ecclesiae primordiis ad haec usque tempora numquam laicos homines aliquid in Conciliis definivisse constat, nec certe possunt Heterodoxi vel unum saltem proferre Conventum ex quo id in usu, fuisse Ecclesiae ostendi possit. Quin si conciliorum omnium acta parumper evolvamur, discemus quidem laicis non iudicare tantum,

sed ne interesse quidem Conciliis permissum fuisse. Exempli instar unum Chalcedonense Concilium sit, quo quum Dioscorus Alexandrinus ingentem Monachorum, laicorumque turbam ex Aegypto adduxisset, non vice simplici clamarent Patres: *mitte foras superfluos, Concilium Episcoporum est.*

V. Nec vero illud nos moveat, quod de rebus fidei in Conciliis agatur, quae communis est causa fidelibus omnibus, et plebi, et ordini, ac proinde communibus votis sit ventilanda. Nam tametsi verum sit, causam fidei ad omnes pertinere, tamen nemo sanus non intelligit secus rem ad Episcopos pertinere, qui pastores, et doctores plebis sunt, secus ad plebem, quae sunt oves. Re enim vera (verbis utar Clarissimi Roberti Bellarmini) in bello causa victoriae ad totum exercitum pertinet, tamen ducum est praecipere, et ducere exercitum, militum vero pugnare.

VI. Licet autem, exclusis laicis, soli Episcopi iure Divino ius suffragii decisivi in Conciliis habeant, non est dubitandum tamen, quin et alii clerici, maxime doctores, Conciliis adesse, immo etiam praeesse possint, tanquam Sedis Apostolicae legati. Id quod factum deprehendimus in Concilio Nicaeno secundo, cui Hadriani Pontificis loco praefue-

runt Abbas Monasterii S. Sabbae, et alii duo quorum presbyter unus, archipresbyter alter. Nisi quod mox ex Concilii Basileensis aetate ius suffragii cum Cardinalibus, Abbatibus, et Praepositis generalibus communicatum est. Sed id ex Ecclesiae concessione factum, qua usi sunt non in Basileensi tantum, sed in Florentino etiam, Lateranensi, et Tridentino.

VII. Sane vero vel ab ipso sermonis initio constitueram Calvinianorum Coriphaeum Brentium inauditum relinquere; quod certe praestitissem, nisi eius recordatio bilem in nasum concitasset. Viden quocum hominum genere pugnandum sit nobis? Ait in Confessione Wittembergensi, ex solis electis et Sanctis constare debere Concilium. Quid? quum electi in hoc mundo non possint inter se coniungi, quum nemo sciat quinam sint electi; ac proinde nec in Concilium vocari, ecquis enim ille futurus est, qui veros Dei filios internoscet; nec ultro convenire, non enim nisi stultus se sanctum iactabit; dicat Brentius quidnam discriminis inter suum intercedat Concilium, et nihil. Sed haec obiter dixisse, perinde est, ac in auras dissipasse.

De Conciliorum Auctoritate.

I. **E**cclēsiā Vniuersam in caussis fidei, et morum errare non posse, abunde supra a nobis est demonstratum. Ex quo prono iam alveo fluit, Episcopus etiam in Concilio generali coactos errori nequaquam esse obnoxios, quippe qui Ecclesiam repraesentant uniuersam. Satis tritum enim est axioma illud, *Civitem id esse quod in ea est principale*(9). Quamobrem quod principes, et praefecti Civitatis faciunt, vel sentiunt, id Civitas et facere, et sentire dicitur.

II. Quid quod quum Episcopus posuisset Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, data illis ligandi, atque solvendi potestate, nusquam hi de publicis Ecclesiae caussis commodius agunt, quam in Concilio coacti,

(9) Aristoteles *Ethicor. Lib. IX. cap. IX.* Vnde *Exod. XIX.* principes populi dicuntur *omnis populus.* Et *Reg. III. cap. VIII.* coetus principum qui cum Salomone convenerant, aperte vocatur *Tota Ecclesia Israel.* Quis enim crederet, omnem Israelem, qui superabat tum mille millium hominum in eo templo convenisse. Immo initio capituli legimus convenisse Sacerdotes, et capita singular. tribuum.

ubi se mutuo et doctrina , et consiliis iuvant. Praeterea clarissimi Patres Athanasius , Epiphanius , Augustinus (10) . nec non octava Synodus expressissimis verbis Oecumenicum Concilium adpellant : *conventum orbis terrae , et consensum totius Ecclesiae*. Quo facit Beatus Cyprianus *Lib. IV. Ep. IX.* ubi Ecclesiam in Episcopo esse discrete docet , unde colligere est , in Episcopis omnibus omnes Ecclesias esse. Quamobrem Martinus V. in fine Constansiensis Synodi suspectos de haeresi interrogari iussit : *an non credant Concilium generale universam Ecclesiam repraesentare*.

III. Porro autem Ecclesiam universam in Concilio coactam falli non posse , ex Christi Domini pollicitatione adstruitur *Matth. XVIII. Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo , ibi sum in medio eorum* ; quod effatum incassum turbare Calvinus conatur. Nam Christus de homine incorrigibili iam dixerat an-

(10) Athanasius *Epist. de Synod. Ariminens. et Seleuciens.* et in altera *ad Episc. African.* Augustinus *Lib. I. de Baptism. cap. XVIII.* Epiphanius in *fin. Ancorat.* Quibus addas Eusebium. *Lib. III. de Vit. Constantini* ; Gelasium *Epist. ad Episc. Dardaniae* ; Gregorium *Lib. II. Ep. XXIV. ad Jo: Ealog.* et Eugenium IV. in *Epistola ad Frideric. Rom. Imper.*

tea : *Si te non audierit , dic Ecclesiae : Si Ecclesiam non audierit , sit tibi sicut Ethnicus , et Publicanus.* Ne quis autem Ecclesiam contemneret , e vestigio subdidit : *Amen dico vobis , quaecumque ligaveritis super terram , erunt ligata et in coelo cet. . .* Mox ne et de eiusdem iudicio subdubitaret aliquis , quum nempe Episcopi in unum coacti aliquem vel damnant , vel absolvunt , continuo adiunxit : *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo , ibi sum in medio eorum.* Quasi dixisset : *Si duo vel tres in nomine meo congregati consequentur quod petunt , et sapientiam ut iudicent , et lucem ut videant , quo magis vos , et episcopi omnes qui vobis succedent , si in nomine meo conveniunt , certi esse debent ne errent , quum ego in medio eorum sim (11) ?*

IV. Accedit antiquissima Conciliorum consuetudo , qua Patres Spiritui Sancto tribuerunt Concilii decreta , Apostolos sequuti *Act. XV.* qua velut haeretici anathemate percutiebantur qui fidei definitionibus in Concilio editis subscri-

(11) Sic enim interpretati sunt textum hunc Patres Concilii Chalcedonensis in *Ep. ad Leonem* ; item VI. Synodus , et Toletanum Concilium I. I. Tum et Coelestinus in *Epist. ad Conc. Ephes. 1.* et Cyrillus in *Exposit. Symb. Nicaeni.*

bere detrectarent, et qua cautum ut fideles ex animo crederent, quod in Concilio erat definitum. Quamobrem tanta erat apud veteres de Conciliorum infallibili auctoritate persuasio, ut fideles omnes pro eorum definitionibus tuendis honorum expoliationem, exsilia, et saepe etiam mortem ipsam pati non dubitarint. Ecquis enim est qui ignoret, ut hoc unum memorem, quanta perpessi sint Catholici a Vandalis in Africa, ut Nicaenam fidem sartam tectam servarent (12)?

V. Sed accedit amplius et Sancta traditio. Sanctus Ambrosius *Ep. XXXII. Sequor Tractatum Nicaeni Concilii, a quo me nec mors, nec gladius poterit separare* cet. S. Hilarius re ipsa exilium passus est propter Nicaenam fidem, ut ipse testatur (*Lib. de Synod.*) Cyrillus vero *Lib. I. de Trinit.* decretum Concilii Nicaeni adpellat *Divinum, et Sanctissimum Oraculum*. S. Basilus *Ep. CXIV.* Nicaenos Patres non sine Spiritus Sancti adflatu loquutos fuisse testatur, id quod Patres omnes iterum iterumque adfirmant. S. Augustinus vero *Lib. I.* quem memoravimus *de Baptism. cap. XVIII.* non nisi ex eo Beatum Cyprianum excusat, quod controversia illa non dum

(12) Adeas Victorem Vitensem *Lib. de Vandalorum persecutionibus.*

fuerat plenario concilio definita. S. Leo *Ep.* CXX. ad Theodoretum de Chalcedonensi Concilio inquit: *Quae nostro prius ministerio Dominus definierat, universae fraternitatis irretractabili firmavit consensu.* Et *Ep.* I. ad Martianum, petit ut semel definita in plenariis Conciliis non retractentur, id quod lege sua sanxit Martianus L. *Nemo C. de Sum-Trin. et fid. Cath.* Demum S. Gregorius M. *Sicut Sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, et venerari me fateor* (13).

VI. Ex quibus omnibus profecto patet, haereticum esse qui adserat, Oecumenica Concilia legitime habita in rebus fidei vel mo-

(13) Non nisi quatuor tantum Concilia S. Gregorius memorat. Nam in V. nulla nova fidei definitio facta est; quin liquet Ecclesias plerasque Occidentales diu recusasse illud recipere, siquidem Oecumenicum haud putabant, quod fuerat ab Imp. Justiniano cum solis Episcopis Orientalibus celebratum, Vigilio Romano Pontifice, aliisque Episcopis Occidentalibus dissentientibus. Sed tamen Oecumenicum omnes habuerunt postquam Vigilius, eiusque successor Pelagius cum universa Ecclesia id receperint, paucis exceptis Venetiarum, atque Istriae Episcopis, qui propterea ut schismatici habebantur, donec et ipsi tandem communi consensu accesserunt.

rum falli posse (14). Nam hac sublata demum auctoritate , iterum redibunt haereses omnes in Conciliis damnatae , et ipsum Symbolum Nicaenum in dubitationem adducetur. Quid quod nulla adhuc remaneret via , qua in explorando dogmate , et in controversiis fidei dirimendis esset incedendum. Qui enim Summi Pastoris , et Episcoporum omnium detrectat iudicium , is profecto nullum vivum inventurus est iudicem , a cuius tribunali non liceat discedere.

CAPUT V.

*De Conciliis adhuc usque
legitime habitis.*

I. **O**ecumenicum igitur Concilium ut vere ultimum Ecclesiae iudicium sit , oportet primum ut a legitima convocetur potestate , eaque vocatio Christianis provinciis omnibus innotescat. II. Ut ex maioribus Christiani Orbis partibus Episcopi conveniant , eorumque nullus excludatur , modo constet excommunica-

(14) Praeclare hac de re disputantem adeas Clarissimum Melchiorem Canum Episcopum Canariensem in vere aureo opere *de Locis Theologicis Lib. V. cap. IV.*

tum non esse. III. Ut Summus Pontifex vel per se, vel per legatos Concilio praesit. IV. Ut suffragia sint omnino libera. V. Demum ut per Pontificem Maximum, aut per legatos Synodalia decreta probentur. Quae hos habent characteres, modo breviter percenseam.

NICAENUM I. Nicaeae habitum, quae Civitas est Bithyniae in Dioecesi Pontica, nunc Turcis *Isnich*. Paulino, et Juliano Coss. nimirum, anno Christi CCCXXV. (sequor fastus Panvinianos) Constantini vicesimo, Silvestri Pontificis duodecimo; duravitque annis tribus. Convenerunt Episcopi tercenti decem et octo, quem numerum post Athanasium, qui ei Synodo interfuit, sequuntur Epiphanius, Theodoretus, Hilarius, Ambrosius, et marmora testantur antiqua. Causa praecipua huius congregandi Concilii fuit Arii presbyteri Alexandrini perversum dogma de Verbo Divino; adsertaque est communi omnium suffragio Verbi divinitas, definitumque Dei Filium esse Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, *ὁμοουσιον* *Consubstantialem* Patri. Dein adversus Quartadecimanos additum est decretum de Paschate, non more Judaeorum die XIV. crescentis sub aequinoctium vernali lunae, sed die Dominica insequenti celebrando. Demum Meletium multis convictum criminibus, et ab eo ordi-

natos, ministerio exauctoravit. Silvestri Pontificis loco praefuerunt Concilio Osius Cordubensis in Hispania Episcopus, itemque Vitus (alius Victor) et Vincentius, ambo Romanae Ecclesiae presbyteri. Editi sunt Canones XX.

II. CONSTANTINOPOLITANVM I. celebratum est Syagrio, et Eucherio Coss. nimirum Christi anno CCCLXXXIV. Theodosio seniore Imperatore, ac Damaso summo Pontifice a Centum et quinquaginta Patribus adversus Macedonium negantem Spiritus Sancti Divinitatem, editique in eo septem Canones tantum.

III. EPHESINUM I. Coactum est Anno Basso; et Fl. Antiocho Coss. anno Christi CCCXXXII. Theodosio juniore Imp. et Coelestino I. P. M. cuius loco Cyrillus Alexandrinus Concilio praefuit. Interfuerunt vero Episcopi plusquam ducenti, quorum communi suffragio damnata est Nestorii Episcopi Constantinopolitani nova haeresis, quae Christum in duas personas dividebat. Canones sex in eo statuti.

CHALCEDONENSE Concilium Nicaeae prius indictum, deinde translatum est Chalcedonem, quod opidum est Bithyniae ad Bosphorum Thracium. Collectum quidem consensu Leonis Pontificis, et Marciani Imperatoris, celebratumque ab Episcopis sexcentis et triginta, ex Provinciis circiter septem et quinquaginta; Marciano et Adelphio Coss.

qui Christi annus est CCCCLI. Leonis legati Concilio praefuerunt Paschasinus Episcopus Lilybaetanus, Lucentius Episcopus Asculanus, et Bonifacius presbyter urbis Romae. Damnatuſ in eo est Euthyches Archimandrita Constantinopolitanus, qui unitatem hypostasis in Christo adversus Nestorium vindicans, in naturarum unitatem impedit, adfirmans duas fuisse in Christo naturas ante unionem hypostaticam, secus vero post unionem. Damnatuſque item Dioscorus Patriarcha Alexandrinus Euthychetis fautor, multiplici crimine notus. Concilii Canones septem supra viginti numerantur.

CONSTANTINOPOLITANVM II. Coactum est Vigilio P. M. Justiniano sen. Imp. post Consulatum Basilii, qui est annus Dominicae Incarnationis DLIII. Interfuerunt Episcopi CLXV. damnataque in eo sunt impia Origenis commenta, et Origenes ipse, itemque Dydimus, et Evagrius eius sectatores, nec non Theodori Mopsuesteni, et Theodoretii Cirensis scripta.

CONSTANTINOPOLITANVM III. Quod absolute etiam *Sexta Synodus* audit, habitum est Agathone Pontifice, Constantino Pogonato Imp. ab Episcopis CCLXXXIX. inchoatum Christi anno DCLXXX. sequenti absolutum contra Monothelitas unam in Christo voluntatem agnoscentes.

NICAENUM II. Coactum an. DCCLXXXVI.

Hadriano Pontifice, Irene et Constantino filio imperantibus. Convenerunt Patres CCCL. prae- fuitque Pontifex per legatos Petrum Archi- presb. Ecclesiae S. Petri, et Petrum Abbatem Sancti Sábbae. Vindicatus est in eo cultus sa- crarum imaginum contra furentes Iconoma- chos, et pro Ecclesiastica disciplina: constitu- ti Canones XXII.

CONSTANTINOPOLITANUM IV. Sive ab- solute *Octava Synodus*, agente Hadriano II. Pontifice indicta, qui ei praefuit per legatos Donatum Ostiensem Episcopum, Marinum S. R. E. Diaconum, et Stephanum Nepesinum Epi- scopum. Convenerunt Episcopi CCCLXXXIII. inchoataque anno Christi DCCCLXIX. Idibus Octobris, absoluta postremo Februarii die anni sequentis, Basilio Macedone imperante in Oriente, Ludovico II. in Occidente. Hic anathemate percussus est Photius, et eiectus Con stantinopo- litana sede, quam, pulso per vim Ignatio, invaserat. Editi in eo sunt Canones XXXII.

LATERANENSE I. Romae habitum ab Epi- scopis nongentis Callisto II. Pontifice, et Hen- rico IV. Imp. anno MCXXII. contra Sarace- nos pro recuperanda terra Sancta; actum quo- que de Palaestina, et Hispania ab infidelium tyrannide liberandis. Canones habet XXII.

LATERANENSE II. Anno MCXXXIX. In- nocentio II. Pontifice, et Lothario Imp. Con-

venientibus Episcopis fere mille, actum est contra Antipapas, eorumque fautores. Damnatu quoque in eo Petrus de Bruis, a quo factum nomen Petrobrussianis, quique Baptismum parvulorum, templorum aedificationem, et crucis cultum improbat; nec non Arnaldus Brixiensis, Petri Abailardi discipulus, qui iurisdictionem Ecclesiasticam insectabatur. Editi sunt in eo Canones XXVII.

LATERANENSE III. Anno MCLXXIX. ab Alexandro III. Pontifice coactum, Fridrico I. Imp. post compositam inter utrumque pacem. In eo trecenti decem Episcopi conveniunt; Damnatique Valdenses qui duce Petro Waldio Ecclesiasticam hierarchiam negabant, Manichaeorumque delirium de duplici rerum principio ab inferis excitare adnitebantur.

LATERANENSE IV. Habitum est anno MCCXV. Innocentio III. Pontifice, Imperante Fridrico II. Aduere Patres MCCLXXXIII. ex quibus erant Episcopi CCCCLXXIII. Actum est de foedere inter Principes Christianos sciendo, suscipiendae expeditionis gratia in Palaestinam a Saracenis ereptam. Dammati Albigenes, stabilita potissimum Transubstantiationis doctrina; nec non proscripti errores Joachimi Abbatis, et Almarici Carnotensis. Huius Concilii canones LXX. relati sunt in volumen Decretalium.

LUGDUNENSE I. Lugduni in Gallia celebratum anno MCCXLV. Innocentio IV. Pontifice S. Ludovico Galliae Rege pro expeditione in terram Sanctam, et Friderici II. Imperatoris excommunicatione, atque abdicatione. Ex quo diuturnum per Germaniam, Italiamque bellorum ac dissidiorum excitatum est incendium, quae sub nominibus Guelforum qui Pontificias, et Gibellinorum qui Caesareas partes tuebantur, civitates plerasque in contrarias factiones distraxerunt. In hoc primum Concilio rubri pilei insigne Cardinalibus datum. Convenerunt Episcopi centum quadraginta duo; editique sunt Canones IX.

LUGDUNENSE II. Patrum fere mille, ex quibus Episcopi erant quingenti. Habitum est anno MCCLXXIV. Gregorio X. Pontifice, Rodulpho Imp. Definitaque ibi est processio Spiritus Sancti a Patre et Filio contra errorem Graecorum. Statutique canones XXX.

VIENNENSE, Episcoporum plusquam trecentorum, Viennae in Gallia habitum anno MCCCXI. Clemente V. Pontifice, Henrico VII. Imperatore. Templariorum ordo ibi suppressus, quod descivissent ad Saracenos. Damnatae haereses Begardorum, ac Beguinorum per Germaniam pullulantium; tum etiam Fraticellorum, et Dulcinistarum.

FLORENTINUM Ferrariae in Flaminia in

choatum anno MCCCXXXVIII. sed saeviente lue Florentiam translatum. Habitum est a centum , et quadraginta Episcopis Eugenio IV. Pontifice , Alberto Imperatore pro abolendo Graecorum schismate , et pace inter utramque Ecclesiam stabilienda. In] eo Graeci latinae fidei circa processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio subscripserunt. Definitum est , in azy-mo , aequè ac fermentato corpus Christi confici posse ; et veritas purgatorii confirmata est.

LATERANENSE V. Episcoporum centum quatuordecim , coactum anno MDXI. a Julio II. Pontifice , solutum vero anno MDXVII. Leone X. Pontifice contra schisma invectum a Concilio Pisano.

TRIDENTINUM Anno MDXLV. a Paulo III. indictum , bellorum dissidiis , aliisque emergentibus caussis per octodecim ferme annos quievit , donec a Pio IV. absolutum anno MDLXIII. Convenerunt Patriarchae tres, Archiepiscopi XXXII. Episcopi vero CCXXVIII. praeter Cardinales, Legatos , Abbates , et Generales Ordinum. Ibi Lutheri , Calvini , Zuinglii, aliorumque Novatorum errores damnati ; Augustanae Confessioni Catholica dogmata opposita sunt , explicata , et vindicata est Apostolica doctrina ; conlapsa Christianorum disciplina sanctissimis legibus est restituta.

Atque haec sunt Oecumenica Concilia: ri-

te celebrata, et accepta quidem ab universa Ecclesia. Nam reliquorum pleraque improbata sunt, nimirum *Ariminense*, Arianorum opera coactum; *Ephesinum* II. sive Latrocinium Ephesinum; *Constantinopolitana* duo, alterum sub Leone Isaurico anno XCCXXX. alterum sub Constantino Copronymo anno DCCLV. et Concilium *Pisanum*. Alia vero nonnisi ex parte tantum improbantur, veluti *Sardicense* Sardiciae in Dacia Myrici coactum anno CCCLI. Imp. Constantio, Pontifice vero Julio I. *Quinisextum*; indictum anno DCXCII. veluti V. et VI. Concilii appendix. *Francofurtense* Francofurti ad Moenum in Germania Caroli Magni iussu coactum anno DCCXCII. *Constantiense* anno MCDXIV. inchoatum, absolutum vero anno MCDXVIII. et *Basileense* inceptum anno MCDXXXI. ac deinde Lausannae continuatum ad annum usque MCDXLXI. quo tum Concilium, tum Felix V. Pontifex in schismate creatus Nicolao V. Pontifici cessit.

DISSERTATIO VI.

DE SANCTIS ECCLESIAE PATRIBUS.

Hem quantum haereticis tribuimus ! ut et argumentando eos revincere ibi quoque adnitamur , ubi non ratione , non sensu , non doctrina , non idoneis testibus , sed una certant impudentia. Vidimus primum Scripturas per hanc hominum pestem corruptas , attenuatas , privatumque Spiritum in earum interpretatione invectum. Vidimus profligatas traditiones , Ecclesiam pessumdatam , Romanum Pontificem explosum , Conciliorum denique auctoritatem coeco furore attentatam. Quid vero ? oportebat sane ut ipsos Patres invaderet , eorumque consensum quovis Concilio graviolem quaterent postremo. Quam caussam licet usque et usque momentosam , nec contentiosa disputatione , nec multis agam argumentis , quae quaquaversum abun-

de suppetunt gravissima . sed paucis dumtaxat , quae illius iugulum petunt.

C A P U T I.

De Summa consentientium Patrum auctoritate.

I. **D**uo promisit Deus *Isaiae* LIX. Christi semini , seu Ecclesiae Christianae , et *Verbum et Spiritum* , Scripturam nempe , eiusque intelligentiam : *Spiritus meus , qui est in te , et verba mea , quae posui in ore tuo , non recedent de ore tuo , et de ore seminis tui , amodo usque in sempiternum.* Semen vero Christi fidelium Ecclesiam esse nemo inficiabitur , vix licet in Sacris Litteris versatus. Equis igitur res a Christo in Ecclesia coniunctas audet errore divellere , et aut verbum , aut verbi sensum Sanctis omnibus , ac proinde Ecclesiae tollere ?

H. Sed porro Apostoli Paulli testimonium gravissimum est ad *Eph.* IV. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos , quosdam autem Prophetas , alios vero Evangelistas , alios autem Pastores , et Doctores , ad consummationem sanctorum , in aedificationem corporis Christi , ut non simus iam parvuli flu-*

ctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Accepimus itaque Prophetas, Apostolos, et Evangelistas; sed ne illos aliter explicaret Novatus, aliter Sabellius, aliter Arius, aliter Donatus; accepimus et Sanctos Doctores, ut Propheticae, et Apostolicæ interpretationis linea propter tam varii erroris anfractus secundum normam aliquam dirigatur.

III. Quamobrem hos in Ecclesia tam variis locis aetatibusque divinitus datos, quisquis in eundem Scripturae sensum convenientes contempserit, non homines contemnet, sed Deum, a quo in id illi fuere destinati. Quod si omnes errant, Deo auctore profecto erraret Ecclesia, quum a Christo sibi datos doctores sequeretur, eorumque vestigiis insisteret; quo quid unquam vel dici vel cogitari potest indignius?

IV. Promiserat et id insuper Christus Apostolis suis, eorumque successoribus *Joan. XIV. 16. Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, spiritum veritatis*; ex quo plane constat, Ecclesiae corpus a Spiritu veritatis seiungi non posse. Quemadmodum autem Spiritus in corpore non easdem functiones tribuit omnibus membris, ita nec Spiritus Dei

non eadem dona tribuit omnibus hominibus, dicente Apostolo I. *ad Cor.* XII. 8. *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae, alii autem sermo scientiae secundum eundem spiritum; alteri fides in eodem spiritu; alii interpretatio sermonum.* Ex quo pronum est intelligere Sacrarum Litterarum intelligentiam Sanctis doctoribus maxime per Spiritum datam esse. Quamobrem sine dubio qui spiritum veritatis Sanctis omnibus in Scripturarum interpretatione negat, hic eundem spiritum toti Ecclesiae tollit; quo modo qui mutus videndi oculis tollit, is reliquas etiam corporis partes obscurat.

V. Sed dicet quipiam, quid multitudo facit ad sensum Spiritus? sane et id ego obtendere possem, quid facit paucitas? An plus est unum audire Arium, unum Nestorium, unum Calvinum, Lutherumque unum, singulos suo ingenio arbitrataque Scripturas ad sua deliramenta torquentes, quam una in causa sedentes audire Orientis, et Occidentis Patres ac Doctores numero ingentes, ingenio ac doctrina subactissimos, morum innocencia ac sanctitate spectatissimos?

VI. Sed mihi nunc in his versanti subit in mentem Augustinus, qui Juliano Aeculanensi Pelagiano Concilium flagitanti, Concilium representat ex omnibus Christiani orbis regionibus, ex saeculis omnibus, cui non aliud

facile posset aequiparari. Nimirum non alio ariete expugnandam illius haeresis arcem Sapientissimus Pater existimavit, quam Patrum consentientium ineluctabili auctoritate. Quae in re versatur Sanctus Antistes integro libro primo contra Julianum; sic ut frustra essem, si verba illius huc adsuere vellem. Videas ibi longe acie productos Irenaeum Lugdunensem Episcopum, beatissimum martyrem et Episcopum Cyprianum, Reticium, Olympium, Hilarium, Ambrosium, quibus strenuissimis ducibus haeresis illa, iam antequam nasceretur, erat praefocata. Nec id praeteream, quando huc me oratio coniecit, quod Juliano ad Orientis antistites provocanti Augustinus opponit *cap. IV. Non est cur provoces ad Orientis Antistites, quia et ipsi utique Christiani sunt, et utriusque partis terrarum fides una est; quia et fides ista Christiana est.* Mox ubi illi ex Orientali Ecclesia S. Gregorium, Basilium, et quatuordecim alios Episcopos obiecisset: *Ecce adsunt, inquit, Judices Orientales. Tu interim habes in conspectu, non solum Occidentis, verum etiam Orientis episcopos. Tantumne apud te possunt Pelagius, et Celestius, ut a Solis Ortu usque ad Occasum tot ac tantos Catholicae fidei doctores, et defensores, antiquos, et nostrae aetati contiguos, dormientes, et*

manentes, non solum deserere, verum etiam Manichaeos audeas adpellare? Dixerat illi Sanctus Pater alibi » Ego te ante istos iudices constituo, quos non amicos meos, et » inimicos tuos in hac nostra disceptatione » constitui cognitores, nec quorum sententiae de hoc, quod inter nos disputatur, incertae sunt, inani cogitatione confixi, sed » sanctos, et in Sancta Ecclesia illustres auctistites Dei . . . ut in eis timeas non ipsos, » sed illum qui sibi eos utilia vasa formavit.

VII. Sed liceat mihi in hac Augustini causa aliquantulum immorari, ex qua multum proficimus. Quanti hanc Patrum consensionem fecerit Prosper, vel abunde palam fit ex encomio illo, quod Augustino textit Pelagianos debellanti: (*contr. Collat.*) *Viginti amplius annis contra inimicos gratiae Dei Catholica acies, huius Viri ductu pugnat, et vincit. Vincit dico, quia non patitur respirare quos vincit, et in quorum excidium, unam cunctorum Sacerdotum manu sententiam scripsit.* Consentit Ferrandus Diaconus *Ep. ad Pelag.* *Ex quibus mundi partibus, aut civitatibus meliores antiquis Episcopis congregabuntur?* Et Bernandus *Ep. LXXVII Patrum opponimus sententias, ac verba proferimus; et non nostra, non enim sapientiores sumus quam Patres nostri. Quia vel ut*

nus, et alterius, Ambrosii, et Augustini auctoritate se numquam avelli posse profitetur: *Ab his ego duabus columnis, Augustinum loquor, et Ambrosium, crede mihi, difficile avellor. Cum his, inquam, aut me errare, aut sapere fateor.*

VIII. Verum ut e diverticulo in viam redeam, attendant saltem adversarii nostri ipsas Scripturas expresse docentes: *Verba sapientum sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi; quae per magistrorum concilium data sunt a pastore uno; his amplius fili mi ne requiras.* Sanctos enim antiquos, sapientes fuisse, neque insanus negabit; Ecclesiae fuisse magistros certo constat; a Deo fuisse Ecclesiae datos, Christi erga Ecclesiam providentia manifestat; datos esse ut Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum oracula exponerent, Paullus docet; ab uno Pastore tam multos diversis locis aetatibusque procuratos, sententiae unitas, et concordia monstrat: ut nihil aliud quam magistrorum concilium liceat intueri, quod ab uno veritatis spiritu fuerit congregatum.

IX. Possem demum et gravissimum omnium a vetustate ipsa desumere argumentum, sed nullum unquam finem nactura esset haec oratio, si omnia persequi vellem, quae ad hanc rem conferunt corroborandam. Quoquo

enim hanc vertes caussam, iudicio non indiget. Hinc *Consensus* occurrit, qui vel cuiusvis, licet imperterriti, prorsus animum terret; sic ut per decem et octo saecula a solis ortu usque ad occasum una omnium audiatur vox. Hinc *Multitudo*, non duorum enim vel trium in rebus fidei consensum adtendimus, sed sexcentorum ac millium una voce idem dicentium. Hinc *Sapientia*, si enim in Scripturae interpretatione quidquam ingenio et eruditioni sit tribuendum, quid Graecorum Patrum ingeniis aut acutius, aut perspicacius? quid in litteris Sacris exercitatus? Quid vero de Latinis dicam? vel quae memorem nomina iamdudum immortalitati consignata? sic ut nescias Latinosne Graecis, an Graecos Latinis anteponas. Hinc vitae *Sanctitas*, quod si enim in hoc iudicio testium integritati standum esset, peracta omnino foret caussa; ecquis enim modo illis Ecclesiae primariis viris praestabit? Hinc demum *Vetustus*, de qua supra dicebam, cuius quanta sit vis, et auctoritas, nemo umquam explicare satis pro dignitate poterit. Nec enim tempus extitit ullum, quo sanctae antiquitatis auctoritate novella profanorum dogmata non exstinxerit Ecclesia. Quippe intelligebant viri Sancti atque prudentes nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, qua fide a Patribus

susepta forent, eadem filiis consignarentur; idque esse proprium christianae modestiae, ac gravitatis, non sua posteris tradere, sed a maioribus accepta servare.

X. Hinc in Concilio Ephesino Sanctorum Patrum in medium positis sententiis damnatus est Nestorius, quippe catholicae antiquitati contrarius, Cyrillus vero antiquae tenax doctrinae probatus. Hinc Quincta Synodus consensum Patrum veluti fidei regulam illis opposuit, qui ex duabus naturis Deitatis, et humanitatis unam factam esse adserebant, quos et anathemate perculit; adeo nempe certum habuit consentientes Patres neutiquam errare posse. Sexta item Synodus Monothelitas ex unanimi Patrum consensu damnavit, mox et Origenianos, qui novas Scripturarum interpretationes contra maiorum traditionem invehere conabantur. Nec nisi ex Patrum traditione Sacrarum Imaginum cultum Septima Synodus definiivit. Expressissime vero VIII. Synodus haec habet *Act. X. can. I. Vt rectam regiamque Divinae iustitiae viam teneamus sine erroris offensa. debere nos Ss. Patrum decreta sequi, veluti inextinctas quosdam semper lucentes faces.* Quibus omnibus ultimum pondus Sancta Tridentina Synodus imposuit *Ses. IV. Decrevit S. Synodus ad coercenda potulantia ingenia, ut nemo suae prudentiae*

innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorqueat, aut contra eum sensum, quem tenuit, et tenet Sancta Mater Ecclesia, aut etiam contra unanimum consensum patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat.

CAPUT II.

*De usu, et auctoritate Patrum
adversus Dallaeum.*

I. Ioannes Dallaeus Calvinianus, ut quae de Patrum auctoritate atque usu apud Catholicos constant, vel infringeret, vel saltem imminueret, librum de usu Patrum edidit, plaudente quidem Protestantium cavea, in primis vero Joanne Clerico Batavo, qui Dallaeum opus suo condecoravit iudicio in *Ep. IV.* ad Gilbertum Episcopum Salisburiensem. Equidem ut ingenue fatear, utinam Catholicorum caussae huiusmodi semper nanciscantur adversarios! Nimirum ut Clericum mittam, de cuius iudicio hac in re narrata est apud doctos fabula, certe in Dallaeo et livoris ac invidiae argumenta habes, quae vero nos vel minimum moveant, non habes. Tu videsis ex hac mercium, quas vendit, summula.

II. In eo Dallaeus primum versatur, quod

aegre constet quid de fidei controversiis antiquissimi Patres senserint, quum pauca quae supersunt illorum scripta vel Judaeorum perfidiam, vel gentium superstitionem exagitant; Christianorum vero religionem ab Ethnicorum plerumque vindicant calumniis. Profecto autem multa Patrum illorum opera, vel temporum edacitate, vel quovis alio fato periisse nemo dubitabit; ut Papiæ Hieropolitani libros quinque, Quadrati Atheniensis, et Aristidis Apologias, Castoris Agrippæ opus adversus Basilidem, Egesippi, Melithonis, Dionysii Corinthii, Apollinaris Hieropolitani opera, Modesti, Pantaeni, Rhodonis, Militadis, Serapionis, Hippolyti, Julii Africani, Dionysii Alexandrini, aliorumque monumenta, quorum nec nomina superessent, nisi Eusebius, et Hieronymus ea servassent.

III. Amplius vero quæritur Dallæus, in incerto adhuc illorum versari opera quae supersunt; quum pleraque vel supposita, vel interpolata, vel corrupta, fraude potissimum hæreticorum fuerint: qui ut antiquitatem tantopere a Patribus commendatam in suas traherent partes, priscorum monumenta sceleratis sollicitare manibus non vice simplici ausi sunt, ut ementito saltem veterum nomine, sibi suisque in pessima laborantibus causa caverent. Quid quod nec subdolas librario-

rum manus effugerint, qui ut suas merces facilius venderent, non raro vel Patrum iam vulgata scripta quasi ex vetustioribus codicibus emendata, ac aucta depromebant, huc illuc pluribus per nebulonem aliquem infarcinatis; vel celebrioribus Scriptoribus opera addicebant, quae manus erant alienae.

IV. Sed agedum! haecce frontis tuae querela? Quamvis enim Patrum, qui prisca illa Ecclesiae aetate floruerint, scripta pleraque in spongiam inciderint, quum tamen multi multa scripsissent; satis superque quae habemus abundant, ut illorum fidem heterodoxis opponamus. Quin nec in Eusebio, nec sparsim in aliis, deperditorum operum fragmenta desiderantur, quae tametsi pauca, et decurtata, aptissima tamen sunt, quibus ostendatur, per manus Patrum ad nos comisse Ecclesiasticam doctrinam. Scimus quidem rem illis ut plurimum cum Judaeis et Gentilibus fuisse, sed equis ignorat, opportune quantum illi pro re nata sensum Ecclesiae exposuerint, quam multa in Scripturarum explanationem contulerint, quam multa de fidei unitate dissuerint? Nec nisi quod primi senserunt, Patres qui subsequuti sunt tenuerunt, explicarunt; nec Arium, Nestorium, Macedonium, Eutychetem aliis armis subegerunt, quam Ecclesiasticae antiquitatis doctrina.

V. Quod autem pleraque patrum illorum scripta supposita, vel corrupta nobis obiicit Dallaeus, abstinere quidem poterat ab eo de quo nullas a nobis initurum gratias sperabat. Fatemur id libenter, sed non omnia Patrum opera sunt supposita. Dicat autem vererator Calvinianus quandonam Catholicae Ecclesiae Theologi veluti certa venditarint quae supposita erant? Nimirum, si Deo placet, Joanne Clerico indigemus, ut nos criticen doceat, velut si non inter nos nata sit Critices, inter nos adoleverit, inter nos ad summum e- vecta sit fastigium. Norunt quidem primi omnium maiores nostri a certis incerta, ab indubiis suspiciosa, a suppositis genuina, corrupta demum, depravata, truncata a sanis secernere.

VI. Nec vero finitus Orestes. Adhuc multa restant, quae salivam cient. Obscuritatis, nimirum Patres accusat Dallaeus, tum ex phrasibus, et idiotismis, quibus eorum sca- tent scripta, tum ex cautione illa, ne sacra mysteria ab Ethnicis intellecta riderentur, tum vero ex disputationis aestu, quibus saepe abrepti in contrarium visi sunt adniti.

VII. Verum si prima illa Dallaei ratio quid probaret, fieret inde, non Patrum modo, sed veterum Scriptorum etiam intelligentiam, desperandam fore, quum Scriptori cuique

suae phrases , et idiotismi sint. Quid quod , quum et in Scripturis idiotismi occurrant innumeri , non video cur harum ad resecandas fidei controversias valere auctoritatem Heterodoxi contendant , Patrum vero non valere ? Porro non inficior priscis temporibus , quum arcani disciplina vigeret , Patres tacuisse , ne fierent Judaeis quidem scandalum , gentibus autem stultitia , sed nihil est , si verum amamus , quod mox occasione data non explanaverint. Demum non eo usque Patrum dictis obstinate standum iubemus , ut eos etiam in disputationis fervore sequamur. Video autem et alia atque alia conglobare Daldaeum , ut Patrum usum , veluti nihil quidquam proficuum , obtendat. Sed haec ut elevemus , et simul quidem in lectione Patrum proficiamus , e re duco nonnullos ex penitiori critice canones conradere , atque huc , veluti in propriam sedem conicere.

G A N. I.

Patrum vera , et genuina opera ab apochryphis , et suppositis distinguantur.

Apochrypha erunt , si res Scriptore ipso recensiores includant , vel aetate Scriptoris inusitatas. II. Si res exhibeant oppositas , adversasque menti Scriptoris ; quod si enim sententiam mutaverint Patres , numquam non id fassi sunt aper-

te. III. Si res a gravitate Scriptoris alienas habeant, ac fabulosas. IV. Si dicendi genus Scriptori non conveniat V. Si desint in illis textus a Veteribus commendati. Nisi autem haec primum expendantur, in varios turpissimosque errores labi necesse est. Hinc optimae Patrum editiones adhibeantur; et Graecae Roberti Stephani, et Latinae Trobenii, potissimum vero illae, quas Maurini Patres curarunt.

C A N. II.

Tempus adtendatur, locus, et occasio, quibus singula Patrum Opera sunt elucubrata.

Tempus confert, ut si quis de re eadem scribens variaverit, postremae potius, quam primae eius sententiae adhaereamus. Exemplo sit S. Thomas, a quo quodcumque in *Summa* est dictum, id ratum certumque habendum est, etsi aliud alias senserit. Prodest quoque, ut in proclivi sit nobis eos excusare, si ea scripserint aetate, qua nondum definitae ab Ecclesia res erant; de quibus agunt. *Locus* confert, ut illis patribus fides cumulator habeatur, qui haereses non audierunt tantum, sed suis oculis viderunt; hinc summa Athanasii auctoritas in Arianos, summa et Augustini auctoritas in Donatistas; am-

bo enim apud Afros vivebant, ubi primum illae haereses ortae. Occasio scribendi demum, optima est magistra, qua docemur, qui factum, ut excesserint quandoque Patres. Nam nonnumquam disputationis aestu abrepti, in partem oppositam declinare visi sunt. Hinc Hilarius Christum doloris quasi expertem inducit, quippe cum Arianis certabat, qui Christi Divinitatem evertere adnabantur. Hinc Hieronymus matrimonium nonnihil deprimere visus est, siquidem cum Joviniano res illi erat, qui Virginitatem adspernabatur. Nimirum si quid excesserunt, danda est venia, quod in oppositis confutandis erroribus versabantur. Ceterum Patribus non eo usque ad sentiendum, donec qualiscumque, si quis est, deferbuerit aestus.

C A N. III.

In polemicis Patrum operibus quae occurrunt, maiorem sibi vindicant fidem, quam quae in Homiliis.

Nam homiliae ad voluntatem movendam potius, quam ad illustrandam mentem sunt intentae; proinde figuris abundant, latioribusque modis dicendi. Quae quidem nisi contrahantur, et iustam significationis potestatem adquirant, non raro recedere aliquantulum videntur ab arctiori doctrina.

C A N. IV.

Res per transennam prolatae, minoris fidei habeantur, quam quae ex instituto dictae.

Constat enim ea quae ex animo, et mature non proponuntur, subesse plerumque dubitationi; optimum autem est iudicium de iis, quae data opera sunt ventilata. Quo loco non est praetereundum, maximopere conducere Patrum notitiam habere, qui singulare aliquod argumentum impensius aliis veluti suam provinciam ornaverit. Hinc si de Verbi Divinitate sermo est, Athanasium adtendere praestat, si de Gratia Augustinum:

C A N. V.

Dubij Patrum textus ex perspicuis explicentur.

Pro animi habitudine varia solent saepe numero hominem rem eandem modo obscurius, modo clarius explicare. Vnde Patrum textus impediti, ac tenebricosi ex illis expediantur, atque illustrentur, qui nitidi sunt, et perspicui. Quoties vero Pater aliquis quidpiam sentire dignoscitur, quod reliquorum Patrum sententiae sit dissonum, fidem integram illi non adhibebimus, nisi Catholicae

Ecclesiae auctoritas eidem sententiae ad-
stipuletur. Nisi quod ubi est opus ab in-
signium Patrum sententia recedere, id
modeste semper est faciendum. In dubio
sequemur Quintiliani consilium *Lib. X.
cap. I. Si necesse est in alteram errare
partem, omnia eorum legentibus placere,
quam multa displicere maluerim.*

DISSERTATIO VII.

DE LOCIS SUBSIDIARIIS

Quum Christianae Religionis dogmata, et
naturae, disciplinarumque humanarum,
quae ipsius naturae sepe coercentur, vim
omnem exsuperent, nemo unus profecto du-
bitabit, quin ex unis intrinsecis locis certa
atque ineluctabili argumentatione sint proban-
da, ac stabilienda. Verum quoniam opportuno
interdum, ac pene necessario subsidio sunt
Theologo Philosophia, Historia, et Eloquen-
tia ad efficaciter ornateque de rebus divinis
disserendum, operae pretium facturus postre-
mo videor, aliquantisper in his immorari, ut
quanti sit habendus rationis, historiae, ac
litterarum amoeniorum in Theologia usus, cui-
vis pateat.

C A P V T I.

De Philosophiae subsidio in rebus Theologicis.

I. **Q**uamvis nimius humanae rationis, et Philosophiae usus, profligatis Scripturis, neglectisque propriis Theologiae fontibus, nulla sit pene dignus commendatione, tantam tamen coercendam esse semper existimavi severitatem, quae omnem rationis usum Theologo adimit; velut si non Moses, David, Salomon, Prophetae, Christus Dominus, Apostoli, ac Graeci Latiniq̄ue Patres omnes in stabiliendis, tutandisque Dogmatis eo sint subsidio saepenumero usi.

II. Longus equidem essem si vel indicare tantum Evangeliorum textus vellem, quibus ipsa veritas Christus, haustus e naturae sinu argumentis, infideles ad fidem allexit, fideles confirmavit, utrosque persuasit. Quum autem vetusti foederis tabulas Hebraei maxime revererentur, plura inde desumpsit, ut argumentando confirmaret quae illi negabant. Hinc *Matth. XXII.* ex *Ps. CIX.* verbis: *Dixit Dominus Domino meo*, suam aperte probat Di-

vinitatem. Mox ex *Gen. II. propter hoc adhaerebit homo uxori suae, et erunt duo in carne una*, dissolvi non posse matrimonium recte concludit. Sed locupletissimum omnium testimonium habemus *Matth. ibid.* ubi duobus positis principiis Sadducaeos refutat. Alterum erat *Exod. I. Ego sum Deus Abraham, Isaac, et Jacob*, quo adversariorum consensu adprobato, alterum a ratione naturali adsumpsit, nempe non esse Deum mortuorum, sed viventium. Qua argumentatione collegit, Abrahami, Isaaci, et Jacobi animas vivere.

III. Sed audiamus parumper in rebus divinis Philosophantem Paullum Apostolum. Illud autem menti primo obversatur, quod induxit *Act. XVII.* In Deo vivimus, movemur et sumus, ergo Deus non longe est ab unoquoque nostrum. Mox *ad Rom. cap. II.* probaturus ex Divina tantum miseratione homines servari, acutum ex eo elicit argumentum, quod gratia non esset nuncupanda, si non conferretur gratis, sed meritis responderet. Postremo ne sexcenta alia recitentur, vulgare non est artificium, quo mortuorum statuit resurrectionem (*I. ad Cor. XV.*) falsa videlicet ubi ea sit, sequeretur Christum non surrexisse, periisse omnes, qui mortui sunt in illo, cunctasque fidei praescriptiones concidisse. Sed

quantum natura conferat, ut supernaturalia noscamus, et invisibilia, adposite docet *Rom.*

I. Invisibilia ipsius a creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, ita ut sint inexcusabiles, quia quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.

IV. Nec nisi hac via primi Christianae Religionis propugnatores Justinus Athenagoras, Arnobius, Lactantius, aliique idolorum vanitatem contra gentes demonstrarunt, Deumque contra atheos, eiusque unitatem, providentiamque adstruxerunt. Exule enim ratione conclamatum et illis fuerit, et nobis, quibus non alia superesset spes illos vincendi, qui Deum negant, Scripturas repellunt, religionemque revelatam procul ire audacter iubent.

V. Quod vero ad illa quae Deum gratiae auctorem spectant, tametsi haec si ad Philosophica principia exigere Theologus velit, operam et oleum perdet, quum nequeat humana ratio huiusmodi res adsequi, quarum alia reddi non potest ratio, quam quod Deus eas revelaverit. Tamen plurimum et in his valere rationem nemo inficiabitur, tum ad emolliendam Mysteriorum arduitatem, et adparentem implicantiam, tum ad haurienda ex Philosophorum scriniis momenta quaedam,

quibus aliquantulum elucidari illa videntur, Quod quidem quanta maxima cum cautione, ac sedulitate est efficiendum.

VI. Quamobrem nonnulla censeo monenda ut locus hic recte tractetur. I. Nec ita deferatur Sacrae Auctoritati, ut penitus exulet ratio, nec ita rationi, ut posthabeatur auctoritas; ubique enim lucere necesse est auctoritatem, veluti Dominam, et Reginam, illique rationem famulari, tamquam ancillam. II. Ne temere nimis mysteriorum adeantur penetralia; quin ubi de revelatione constat, subiiciatur intellectus in obsequium fidei. III. Ne rationi nimium servientes in sophisticen dilabamur, remque Theologicam contortis absolvamus syllogismis, quo nec sceleratius, nec indignius quid umquam esse potest.

VII. Porro autem id reliquum est, ut pauca de Philosophorum dictis in rem Theologicam transferendis dicam. Sane illa, per me licet, usurpanda iubeo, et sacris disputationibus inserenda, tum ut illorum argumenta in causam nostram revocantes, propriis armis eosdem convincamus, ut non vice simplici fecisse constat Apostolum Paullum, tum vero ut veritas Christiana adversariorum testimoniis magis splendescat. Quo facit Chrysostomus *Hom. VI. in Matth. Ad Dei gloriam*

summam pertinebat, si virtus eius, etiam inimicorum testimonio panderetur: et ipsi quoque gentilitatis magistri consenam proferrent de veri Dei potestate sententiam.

VIII. Igitur (ut Augustini verbis utar *Lib. II. de Doctr. Ch. cap. XL.*) *Si qua forte vera, et fidei nostrae adcommodata dixerunt Philosophi, maxime Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam, tamquam iniustis possessoribus (1) in usum*

(1) Quid quod et Graeciae sive Atticae, sive Italicae nostrae Philosophi, si quid recte scripserunt, a Mose et Prophetis hauserunt. Ex quo fures a Clemente Alexandrino dicuntur *Strom. Lib. V.* Quid de Pythagora, quem nisi Hebraeum cum Ambrosio putabimus, certe circumcicum adstruit Clemens *Lib. I. De Aristotele* luculentissima habemus testimonia apud Clementem ipsum *Lib. I.* et Josephum *Lib. I. contr. Apionem*, ex Judaeis profecisse; quin Clearcus peripateticus testatur, multum versatum illum fuisse cum Judaeo quodam. De Platone vero res testatior est, quam quae ulla indigeat probatione. Ipse enim in *Timaeo* fatetur ab Hebraeis plura hausisse, et adstipulantur Patres quotquot, in primis Clemens, Ambrosius, et Augustinus. Sed cui bono haec? ut nimirum intelligant omnes, nos Christianos, si quid ex vetustis Philosophis ad tuendam veritatem conradimus, non aliena profecto mutuari, sed nostra repetere.

nostrum vindicanda. . . Nam quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri? Nonne adspicimus quanto auro, et argento, et veste suffurcinatus exierit de Aegypto Cyprianus doctor suavissimus, et Martyr beatissimus? Quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, ut de vivis taccam (profecto híc in Hieronymum intendit), quanto innumerabiles Graeci?

IX. A quo non ablusit Doctor ille egregius, et Christianae Ecclesiae singulare ornamentum Hieronymus in Epist. ad Magnum Oratorem Romanum: « Quis enim nesciat et in Mose, « et in Prophetarum voluminibus quaedam » adsumpta de gentilium libris, et Salomo- » nem Philosophis Tyri, et nonnulla propo- » suisse, et aliqua respondisse. Vnde in exor- » dio Proverbiorum commonet, ut intelliga- » nus sermones prudentiae, versutiasque ver- » borum, parabolas, et obscurum sermonem, » dicta sapientum, et aenigmata, quae proprie » Dialecticorum, et Philosophorum sunt. Sed » et Paulus Apostolus Epimenidis poetae a- » busus versiculo est scribens ad Titum. » Κρητες αει ψευσται, κκκκ θηρια, γαστερες » αργαι i. e. Cretenses semper mendaces, » malae bestiae, ventres pigri. . . . In alia » epistola Menaudri ponit senarium φθειρουσιγ » ηθη χρηστα ομιλια κκκκκ corrumpunt bonos

• mores colloquia mala. Et apud Athenienses
 • in Martis curia disputans, Aratum testem
 • vocat: του γαρ και γενοσ εσμεν ipsius enim
 • et genus sumus. Ac ne parum hoc esset,
 • ductor Christiani exercitus, et orator in-
 • victus pro Christo causam agens: etiam
 • inscriptionem fortuitam arte torquet in ar-
 • gumentum fidei. Didicerat enim a vero David
 • extorquere de manibus hostium gladium, et
 • Goliae superbissimi caput proprio mucrone
 • truncare.

CAPUT II.

*De Historiae subsidio in
rebus Theologicis.*

I. **I**n re iam nunc versatur oratio, quae
 omnium constat consensione. Neque e-
 nim cuius fas credere est Theologos dari,
 nedum philosophos, iurisprudentes, rethores,
 eruditos, quibus res quae ante nos fuerunt,
 ignotae sint. Quidquid enim habemus ex suis
 thesauris nobis historia suppeditavit, sic ut
 inopes, miseri, sordidi in divina, et quavis
 alia facultate haeremus, nisi nos divites,
 ac opulentos suis larga opibus fecisset historia.

II. Sed quum historiam Theologo heic ne-
 cessariam dico, non sacram tantum intelligo,
 non divinos fastus, sacrorumque monumenta

annalium , non Mosaicos libros , non acta Pontificum , et Conciliorum , non Apostolorum , martyrumque vitae , non totam denique veteris disciplinae cognitionem , in quibus oportet Theologum hominem , nisi omnino mutus in tanta esse velit facultate , versatissimum esse , immo subactum ; sed in profanam praecipue meum intendo digitum , cuius absque praesidio , nisi mutus , certe infans erit theologus , et ut plurimum in tenebris haerebit , pugnabitque cum larvis.

III. Jam vero videamus parumper , ponderis quantum humana in historia maiores nostri posuerint , doctrina ac sanctitate clarissimi. Volvamus quaeso Tertulliani opera , Cypriani , Augustini , Hieronymi , Luciani , Eusebii , nonne videmus potentius illos praesidium in humanis historiis constituisse ? Sed antequam in has aquas orationis navim mergamus , blandimenti ergo , exemplum dare fortasse erit opportunissimum.

IV. Erasmus Roterodamus , insignis adversarius noster in *Adnotat. in Matth.* XXVII , quas tenebras super universam terram Christo moriente factas scribit Evangelista , eas super Judaeam tantum fusas contendit ; quod si tanto illae spatio per universum orbem contigissent , aliquis certe seu Latinus , seu Graecus Scriptor eius rei meminisset. Hinc ne testis

Dionysius Areopagita advocetur, confictam illius epistolam venditat, deridetque. Porro autem nisi humanas historias ignorasset Erasmus, an in tantum dilapsus esset errorem? Nisi vero Theologus in humanis esset historiis versatus, quid Erasmo opponet? an sineret monstrum id Erasmiani opinamenti in Ecclesia vagari?

V. Sane ut perpetuo pudore suffundatur Erasmus, argumenta Theologus ex humanis historiis eliciet potentissima. Ptoleogon enim Olympiadum supputator experientissimus *Lib. XIV.* haec habet: « Quarto autem anno CCVII. » Olympiadis, magna, et excellens inter omnes, quae ante eam acciderant, defectio » Solis est facta. Dies hora VI. ita in tenebras noctem versus, ut stellae Coelo visae sint, terraeque motus in Bithynia Nicaeae urbis multas aedes *subverterit.* « Hunc autem annum cum passione Dominica concurrisset Eusebius auctor est in *Chron.* Adde Luciani presbyteri Antiocheni auctoritatem, viri sanctitate et eruditione Clarissimi, qui ita Gentes increpat, Eusebio teste *Hist. Eccl. lib. IX. cap. VI.* *Requirite in annalibus vestris, et invenietis temporibus Pilati, Christo patiente, fugato Sole interruptum tenebris diem.* Adde Tertullianum testem gravissimum in *Apoc. cap. XXI.* » *Eodem momento dies medium orbem signante Sole subducta est. Eum mundi ca-*

sum relatum in archivis vestris habetis. Haec qui adducet, Erasmi argutias elevabit.

VI. Sed ut eo unde digressa est, recurrat oratio, quanto sint usui profanae historiae Theologo, scripta Patrum abunde commo- strant. Tertullianus quidem in Apologetico ex Romanorum historiis saepenumero adversus gentes argumentatur; et *lib. ad Scapul.* in- numeris quidem rerum gestarum monumentis utitur, ut persuadeat, ob vexatos Christianos, multos gentilium praesides infelices exitus ha- buisse; ex quo illud concludit, eos qui cum nostris pugnavissent, cum Deo quoque sine dubio certasse. Jam vero Cyprianus *lib. quod idola non sunt Dii*, ecquibus historiaram com- memoracionibus idolorum vanitatem non coar- guit? Quot praeterea quamque varias adver- sus Jovinianum historias non conglobat Hiero- nymus in virginitatis, castitatisque commen- dationem. Nemo autem Augustino disertius *Lib. II. de Doct. Ch. cap. XXVIII.* quantum historiae ad intelligentiam Scripturarum confe- rant, exprimit. Nec vero aliis armis quam hisce Judaeos, ac Paganos exagitavit Eusebius *Hist. Eccl. Lib. I. cap. VI.* et passim alibi.

VII. Statueram vero, vel ubi manus ad hoc institutum admovi, ex Graecis Latinisque Pa- tribus ea conradere quae in singularis huius loci commendationem contulerunt. Sed nunc,

ut ingenue dicam, nescio quo videor adfectus fastidio. Spero attamen sequenti capite, quod mihi auguror postremum, non sine foenore redditurum, quae huc etiam recidunt. Interea pauca nunc non renuam, quae maxime censeo monenda, ut veraces historici a fallacibus distingui possint, atque internosci.

VIII. Primum vero Historici graves, probi, verecundi, quique ea quae referunt, vel ipsi se vidisse testantur, vel ab his qui viderant accepisse, veraces existimentur. Id quod in ipsis etiam Ethnicis locum habet, quorum plerisque, tametsi vitiorum labe haud quamquam immunibus, adhuc tamen cordi fuit integritas quaedam, et candor animi, cuiusmodi fuerunt Julius Caesar, Valerius Maximus, Terentius Varro, T. Livius, Cornelius Tacitus, L. Annaeus Seneca, aliique latini; Graeca enim fides magna nutat ex parte. Porro si Fl. Vopisco credimus *Praef. ad Hist. Nemo Scriptorum quantum ad historiam pertinet non aliquid est mentitus*. Quod si ideo historicis universis ubique fides sit neganda, nec ulla eodem iure inter homines habenda fides, quum numquam non aliquem suspicari possimus mendacem. Quamobrem nec singuli historici cito credendi, nec pertinaciter reiiciendi; attendatur vero loquentis auctoritas. Nam qui ingenuae probitati, et veritatem in-

genii, iudiciiue maturitatem adiunxerunt; potio- rem supra ceteros fidem merentur. Magna etiam illorum ducatur fides, qui res narrant suis temporibus in aperto, et propatulo gestas, et omnibus exploratas, tametsi adiuncta aliqua non ubique sint certa. Ecquis enim in iis mentiri dicendus est, nisi fidem omnem, nedum pudorem deposuerit?

Quod si quis tamen aut partium studio, aut odio abreptus scripsisse videatur, hunc in historia suspectum merito dabimus. Cuiusmodi inter veteres fuerunt Eusebius Caesariensis, ubi de Arianis, Socrates, et Sozomenus, ubi de Novatianis, tum Theodoretus, ubi de Theodoro Mopsuesteno disserit; inter recentiores vero Paullus Sarpus ubi de Concilio Tridentino. Demum Ecclesiae iudicium, ut par est, adtendatur, ut sicubi illa suam auctoritatem historico alicui tribuit, nos nostram adiungamus, sicubi alicui fidem derogat, ei quoque nostram derogemus.

MANTISSA.

*De Artium liberalium subsidio
in rebus Theologicis.*

Illud eqidem inter omnes sanæ mentis homines constare arbitror, eruditionem inter humana bona principem locum tenere. Neque vero de hac nostra tantum ac nobiliore loquor, quæ contempto omni sermonis lepore, atque ornatu, salutem uni, atque rerum illarum, quæ ratione intelliguntur, pulchritudini arctissime hæret, sed etiam de externa, quam plerique Christiani, pravo quodam iudicio, ut insidiosam, et periculosam, ac procul a Deo avertentem, aspernantur. Qui perinde faciunt, ac si coelum ac sidera, aëremque contemnunt, quod aliquando divinos honores ab sceleratis exegerint hominibus. Nam pessimus rerum optimarum usus emendandus est, ut iam usui sint et artes liberales, et eruditio, rerumque creaturarum pulchritudo, quo ad primigenium incorruptibilis, ac divinæ pulchritudinis, et sapientiæ fontem consurgamus, *Nazianz. Orat. XX.*

Porro ne quis me nimium commendationi

amoeriorum litterarum , artiumque liberalium indulgere arbitretur , sciat is animo mihi fuisse initio propositum , nihil hanc in rem conferre , nisi ex Patrum scriniis contraxerit , ut iam non me , sed Patres in Christiana sapientia subactissimos nonnulli nostri temporis nimium illiberales homines audiant , qui in saecularem omnem sapientiam invehuntur , ac ut verius dicam debacchantur , velut si Christianae Religionis fundamentum omne per illam subvertatur : Quibus quidem , ut ex eo incipiam , non mei peculii verbis ; sed S. Gregorii Nazianzeni respondeo , ne ab eo recedam , cuius locum prooemii vice ante recitavi. « Non idcirco eruditio contemnenda » est , quod ita quibusdam videatur , quin » potius stulti , atque imperiti habendi sunt , « qui hoc existimant ; qui omnes sui similes » esse cupiant , ut privata eorum inscitia sub » communi deliteat , nec quisquam ipsorum » imperitiam prodat , et coarguat.

Sane vero quod hęc tractandum adgredimur , id egregie exequutus est Basilius integra homilia de utilitate ex libris gentilium capienda , quam velim omnes prae manibus habeant. Norat nimirum summus Theologus quanto illi praesidio fuerint in rebus divinis explicandis Oratores , et Philosophi , quos Byzantii au-

dierat , et Graecae litterae , eruditio , artesque liberales, quas Athenis didicerat. Audiant quae-
so Theologi nostri quid de illo Gregorius Na-
zianzenus dicat *Orat. XX.* » Quis in Rheto-
» rica illa , vim ignis spirante , cum eo com-
» parandus , tametsi illius mores a Rhetorum
» moribus dissiderent ? Quis in Grammatica,
» quae linguam ad Graecismum format , hi-
» storias colligit, metris praeest , carminibus
» leges praescribit ? Quis in Philosophia , ex-
» celsa procul dubio scientia, et sursum gra-
» diente , sive eam partem spectes , quae in
» actione , et speculatione posita est , sive
» eam quae in logicis demonstrationibus , aut
» oppositionibus, et concertationibus versatur,
» quam dialecticam vocant , in qua adeo ex-
» celluit , ut iis qui cum eo disputabant ,
» facilius esset ex labyrinthis se se extricare,
» quam argumentorum eius laqueos effugere,
» si quando res ita postularet. Jam vero Astro-
» nomiam , Geometriam , Numerorum propor-
» tiones hactenus didicisse contentus , ne ab
» iis , qui in hujusmodi rebus sciti et eru-
» diti sunt , exagitaretur ». Nimirum hisce
artibus , hisce studiis instructi Patres nostri in
Theologicis arenis descendebant , hisce exte-
rioribus disciplinis Divinas veritates vallabant.
O quanta tunc ad Ecclesiae utilitatem redun-

dabant commoda ex uberrimi profanae sapientiae messe? Nos vero quid?

Haec de Basilio Gregorius, sed ecquod disciplinae genus est, in quo ipse Gregorius, versatus non fuerit, et ita intime versatus, quasi in id tantum incubuisset. *Lanugo nondum texerat genas*, (inquit ipsemet Gregorius de se) *tamen me litterarum ceperat fervens auctor, veris studentem per nothas succurrere*. Et mox: a saecularibus litteris non ante se avulsum testatur, quam annum aetatis trigesimum attigisset: *nam tempus ingens fluxerat, iam in litteris, triginta et annos pene iam exegeram*.

Quid vero dicam de Gregorio Nysseno qui *Lib. de Vita Mosis* saecularem litteraturam propulsandis hostibus aptissimam putat? quid de Justino Martyre, qui in Dialogo cum Tryphone se sapientiae studio incensum ad Philosophum Pythagoreum accessisse testatur, qui statim illum interrogavit: *Versatusne es in Musica, et Astronomia, et Geometria? an existimas quidquam te perspicere eorum posse, quae ad beatitudinem conducunt, nisi haec prius cognoveris, quae animum a sensibilibus ad intelligibilia percipienda aptum, commodumque reddunt, ut id ipsum quod pulcrum est, et quod bonum est, contemplari queas? Et quum studia ea magnopere laudasset, et*

necessaria esse dixisset, me ita a se dimisit, nam me nescire confessus sum. Aegre igitur hoc tuli, sicut par erat, quod spe excidissem. Quid demum dicam de Clemente Alexandrino, cuius Stromata exemplo nobis esse debent, quantum saeculares litterae ad saeculares errores profligandos conducant.

Jam vero si de Origene verba nunc facere vellem, vel unde incipiendum mihi esset, vel quo finiendum, non viderem. Sane is, ut uno rem expediam verbo, Graeciam omnem novit, exemplo ductus Pantaeni, et Heraclae, quorum omnigena doctrina Alexandrina Schola inclavit. Sed de Graecis Patribus, ac Theologis dignus qui consulatur Eusebius *Hist. Eccl. Lib. VI.* quo loco non Origenem tantum, et Pantacum, et Heraclam, sed et Gregorium, atque Athenodorum fratres, ambo in Ponto Episcopus inducit; et Gregorius is ille est, Thaumaturgi mox nomine nobilitatus. *Hos quum vidisset Origenes* (verba sunt Eusebii) *Graecis Romanisque disciplinis nimium deditos, in eorum animos instillans philosophiae amorem, abiectis prioribus studiis ad rerum divinarum meditationem eos traduxit.* Nihil vero dicam de Dorotheo viro doctissimo, Antiochenae Ecclesiae presbytero, nihil de Anatolio Episcopo Laodiceno, de quo inquit Eusebius: *Hic tum in liberalibus*

disciplinis , tum in philosophia principem inter doctissimos nostri temporis viros locum sine controversia tenuit ; quippe qui ad summum apicem Arithmeticae , Geometriae , atque Astronomiae , adhaec ad Dialecticae , et Physicae , et Rhetoricae supremum fastigium pervenisset. Nihil demum de Anatolii successore Stephano , eiusdem Laodicensis Ecclesiae Episcopo. Sane mirum illud , quod de Dydimio , iam a puero oculis orbato narrat Theodoretus *Lib. IV.* « Dydimus a puero » sensu oculorum orbatus , et Poeticis ac » Rhetoricis disciplinis excultus est , et A-
« rithmeticam , Geometriam , Astronomiam ,
« Aristotelis syllogismos , et Platonis facun-
« diam aurium adiumentis didicit ; non qua-
« si veritatem ista doceant , sed quod arma
« sint veritatis contra mendacium ».

Porro ut Graecos Patres omnes mittam , vel unus Theodoretus sufficit , quo evincam , quantum ad propagandam Christi fidem , et Ecclesiam conduceret , humaniores litteras a Christianis et doceri , et disci. Sumit argumentum Theodoretus , ex Juliani Apostatae edicto , qui id prohibuit. Earum enim litterarum praesidio , et gentium superstitionem Christiani oppugnabant , et veri Dei cultum insinuabant. Quid quod auctor est Socrates *Hist. Lib. II.* post illud Juliani edictum A-

Illustriss., et Reverendiss. Dom. D. Carolus Canonicus Rosini S. Th. Professor revideat, et in scriptis referat. Die 27. Novembris 1794.
 = Joseph Archiep. Nicosiensis Can. Dep.

EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME PRINCEPS. = Legi iussu Tuo Michaelis Archangeli Lupuli Theologiae Dogmaticae lectiones, in quibus cum nihil offenderim, quod ad Catholicae veritatis trutinam exactum non foret, typis mandari posse censeo, futuras certe rei Theologicae studiosis non exiguo emolumento; adeo eleganter, et perspicue sublimissima scientia pertractatur! Dabam tertio Kalendas Apriles 1795. = Eminentiae Tuae = *Obsequentissimus, et addictiss.* Carolus Canonicus Rosini.

R. Dom. Franciscus Rossi in hac studiorum Vniversitate Professor revideat autographum enunciati Operis, cui se subscribat ec. Datum Neapoli die XII. Martii 1795. = Fr. Albertus Archiep. Colossensis Capp. M.

S. R. M. DOMINE = Theologiae Dogmaticae Lectiones Michaelis Archangeli Lupuli attente perlegi, illudque demiratus sum, Clarissimum Virum in multiplici scribendi genere ea cum laude, ac dignitate versatum esse, ut singula quaeque ab iis qui in ea Provincia excelluerunt, elaborata crederes. Quod tum ex aliis Operibus, in quibus de tota antiquitate se, prodidit benemeritum, tum ex Theologicis hisce lucubrationibus adprime adparet, quae Auctorem in Patrum doctrina, et in Ecclesiastica eruditione exercitatissimum commendant. Quum autem opus, et rei litterariae publi-

cae, et sacrae iuventutis potissimum commodo prosit, nihilque ex eo detrimenti capiant Regiae Maiestatis iura, dandam esse veniam censeo, ut in publicum prodeant. Datum Neapoli XII. Kalendas Octobres an. 1795. = Numini, Maiestati- que Tuae = *Devotissimus* Franciscus Rossi Reg. Inr. Civ. Professor.

Die XXII. Octobris an. 1795. = Viso Rescripto S. R. M. die XII. Martii, ac relatione R. D. Francisci Rossi de commissione Regii Cappellani Maioris ordine praefatae Regalis Maiestatis; Regalis Camera Sanctae Clarae providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inserta forma praesentis supplicis libelli, ac approbationis dicti Revisoris. Verum non publicetur, nisi per ipsum Revisorem, facta iterum revisione, adfirmetur, quod concordat, servata forma Regalium Ordinum,} ac etiam in publicatione servetur Regia Pragmatica: Hoc suum = TARGIANNI, BISOGNI V. A. R. C. Pascale = Illustr. Marchio Mazzocchi S. R. C., et ceteri Aularum Praefecti impediti.

ERRATA

13. v. 27. n. 8. volumina
23. v. 25. prosequuti
39. v. ult. liberarioribus
77. v. 3. ex
83. v. 3. debacchati
84. v. 6. usurpantur
99. v. 13. Alexandum
102. v. ult. Ariamum
124. v. 16. Dicessisse
133. v. 12. gramaticos
134. v. 14. ποικιλίῳ
223. v. 4. cān. recensiores
243. v. 26. pulcrum
233. v. 25. Ἰνπετα

CORRIGE.

volumina
prosequuti
liberarioribus
et
debacchati
usurparentur
Alexandrum
Ariamum
discessisse
grammaticos
ποικιλίῳ
recentiores
pulcrum
Ἰνπετα

INDEX

CAPITUM ET SECTIONUM.

ISAGOGE DE THEOLOGIE NATURA	pag. v
DISSERTATIO I. DE SACRA SCRIPTURA	1
CAP. I. De Testamenti notione	3
CAP. II. De duplici populo Dei foederato, Hebraeo, Christianoque	7
CAP. III. De Judaico Librorum vetusti foederis canone	12
CAP. IV. De Ecclesiastico utriusque foederis librorum canone	20
CAP. V. De Hebraeo Graecoque Scripturarum textu, eiusque integritate	22
CAP. VI. De Graecis Scripturarum editionibus.	27
CAP. VII. De Latinis Scripturarum versionibus.	35
CAP. VIII. De Divina Scripturarum inspiratione.	38
CAP. IX. De Scripturarum sensibus.	41
CAP. X. De Supremo Iudice controversiarum fidei.	61
DISSERT. II. DE TRADITIONE	61
CAP. I. Quid sit traditio, et in quod capita dividatur.	62
CAP. II. Traditionis auctoritas adversus Heterodoxos invictissimis argumentis vindicatur.	65
DISSERTATIO III. DE ECCLESIA	83
CAP. I. DE Ecclesiae notione	84
CAP. II. De Membris Ecclesiae	89
CAP. III. De Divinis Ecclesiae proprietatibus.	94
SECTIO I. Christi Ecclesia visibilis est <i>ibid.</i>	
SECTIO II. Ecclesia Christi nec defecit, nec deficit umquam	98
SECTIO III. Ecclesia Christi errare non potest.	104

CAP. IV. De Notis et Tesseris Ecclesiae	105
SECTIO I. Christi Ecclesia est una	106
SECTIO II. Christi Ecclesia est sancta	110
SECTIO III. Christi Ecclesia est Catholica	112
SECTIO IV. Christi Ecclesia est Apostolica	118
DISSERTATIO IV. DE PRIMATU ROMANI PONTIFICIS.	123
CAP. I. Petrus Apostolus Princeps universae Ecclesiae a Christo Domino datus	125
EXCURSUS. Apostolus Paullus an Petro aequalis fuerit.	137
CAP. II. Petrum Romae fuisse, ibique Episcopum sedisse evincitur.	143
CAP. III. Romanus Pontifex Petri in Primatu Ecclesiae successor	156
CAP. IV. Pontifex Maximus aberrare nequit, universam ubi docet Ecclesiam	169
DISSERTATIO V. DE CONCILIIIS	178
CAP. I. De Conciliorum partitione	<i>ibid.</i>
CAP. II. De Jure Concilii Oecumenici convocandi.	184
CAP. III. De vocandis ad Concilium	191
CAP. IV. De Conciliorum auctoritate	196
CAP. V. De Conciliis adhuc usque legitime habitis.	201
DISSERTATIO VI. DE S. ECCLESIAE PATRIBUS.	210
CAP. I. De Summa consentientium Patrum auctoritate.	211
CAP. II. De usu, et auctoritate Patrum adversus Dallaeum	219
DISSERTATIO VII. DE LOCIS SUBSIDIARIIS	227
CAP. I. DE Philosophiae subsidio in rebus Theologicis	229
CAP. II. De historiae subsidio in rebus Theologicis.	234
MANTISSA. De artium liberalium subsidio in rebus Theologicis.	240

VAI 1529198





#6
#5
#4
#3
#2
#1

163
C
12

